BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
3 A
17

14-19. a. 26

LUCERNA
Salis Philoſophorum.
Hoc eſt:

Delineatio nuda deſiderati illius Principii tertii mineralium Sendivogiani, ſive Salis pontici, quod eſt ſubiectum omnis mirabilitatis & Academia unica veterum Sapientum, nec non clavis artis Gebricæ, claudens ſigillans & aperiens, nemine alias pandente vel occludente, continens ſimul veram præparationem hujus mirabilis ſaponis & aquæ ſiccæ, quæ nihil madefacit, nec ulli alii rei in Mundo commiſcetur, quàm metallis: Secundum methodum quâ cuncti Philophi panacæam illam univerſalem confecerunt, in ſalutem afflicti hominis ceu effigiei & imaginis glorioſi DEI, qui laudetur in ſecula ſeculorum.

Ad conteſtandum animum officioſum erga prolem doctrinæ fideliter eidem communicata à filio SENDIVOGII, anagramaticè vocato.

Tuis Ophir dono fert theca Saturni.

Annum publicationis continet famoſum illud Paracelſi vaticinium:

ELIas artIVM artes DoCebIt.

Et illud noſtri Coſmopolitæ:

MonarChIa BoreaLIs aDVenIet.

Et Böhmii Teutonici:

LILIUM eDet fLores â ſeptentrIone.

AMSTELODAMI,
Apud Henricum Betkium,
Cum Privilegio. An. MDCLVIII.

Conjugium ſeu lib de Maſsa Solis & Lunæ.

NOn legitur, à Divina munificentia Majus emanaſſe donum ſapientiâ, unde Hamuel: reccomenda memoriæ, exorna conſcientiam, magnifica ſcientiam, qui enim ſpernit ſcientiam, ſpernit illum Deus ſublimis & glorioſus, ſapientes verò & electi ſervi Dei, quorum unus poſt alium hanc ſibi hæreditavit ſapientiam gratiâ & Dono Dei, cujus nomen ſit benedictum, ut ſibi facerent memoriam perpetuam apud poſteros, ſcripſerunt de hac libros ſuos typicis & tropicis locutionibus, ſunt enim libri vaſa memoriæ & perpetua fama ſapientum. Ne autem hæc ſapientia & donum Dei altiſſimi hilariter elargitum microcoſmo ad interitum tenderet, Deo volente Philoſoph. & Prophetæ ſcientiarum Domini hujus ſapientiæ ſeries in ſcripturis velatas poſuerunt.

Geber.

LAudetur ſublimis Naturarum Deus benedictus & glorioſus, qui nobis omnium Medicinarum revelavit ſeriem, cum hujus Magiſterii experientiâ quam ejus inveſtigationis bonitate, & noſtri laboris inſtantiâ perquiſivimus, & oculis vidimus, & manu tetigimus complementum ejus, noſtro magiſterio indagatum.

DEDICATIO.

Gloria in excelſis Deo: pax terris: bona voluntas hominibus: omnibuſque Deum ſincerè timentibus doctrinæ filiis æterna ſacroſanctæ Trinitatis benedictio.

QUamquam, ô venerabiles Muſarum Hermeticarum Cultores, nil quicquam (ut eximius anonymus conſiliarius conjugii Solis & Lunę, in parte tertiâ de maſſa Solis ait) adinveniri novi in arte Philoſophicâ queat plùs dictis veterum philoſophorum, quia ſaltem una res eſt & unica via ejus; attamen ſola delectatio hujus ſecreti ſimul in mentem intellectoris cadens eum plerunque delectabundè ſtimulat; ut modica patefactione literali coram veneranda ſocietate hujus magiſterii, ob intellectam occultiſſimam ſcientiam Philoſophorum ſibi ipſi (innuente Gebro) ſoleat gratulari, atque ad eandem etiam aliis adhuc imperitis indagatoribus, quantum licitum eſt viam commonſtrare, ſecundum exhortationem Senioris Arabis, in libro de Chymia ſic dicentis: *Si ſim magnæ rationis in ſcientia, & aperti mihi fuerint tropi Philoſophorum occulti, & manifeſtum mihi quod*

occultarunt, & hoc apprehenderim per ſcientiam, debeo recte hoc appropinquare intellectui ſucceſſorum meorum, ſermonibus in aperto velatis, ſignificantibus intellectum occultum & velatum, ut hoc ſit apertum & celatum, eſt autem apertum ſtudioſis ſapientibus & intelligentibus & inveſtigantibus, celatum autem minus intelligentibus, quod niſi fecero, non maniſeſtabo induſtriam meam præ cæteris. Et Deus ſit mihi teſtis ſuper vos, ut non prohibeatis eos, qui ſunt digni ex fratribus noſtris, & non pandatis ea indignis, aliàs indignè ageretis, & contra conſcientiam, & merebimini pœnam à Deo, cujus nomen glorificetur. Commiſſa enim eſt vobis hæc ſcietia, ut ſubveniatis fratribus noſtris pauperibus, & Deus retribuet, &c. Hæc ergo generalis intentio antiquorum etiam mihi eorum exiguo diſcipulo anſa fuit, ut non ſupervacaneum exſtimarim, Principii tertii Sendivogiani ſive Salis Philoſophici delineationem (cum non pauci id hactenus deſiderarint) pro iis, quibus grata foret, ante breve tempus Germanicè publicare, brevibus ſimul indicans, quid me tùm ad id commoverit; Quoniam verò poſtmodum aliorum quorundam doctorum amatorum, qui Germani non ſunt, familiaris notitia facta eſt mihi, ipſe ego dictam delineationem Latinam reddidi, nec non priſcorum ſophorum (qui omninò noſtri præceptores

res permanebunt, quamdiu hic Mundus durabit) ſententiis aureis principaliorem hujus artis doctrinam continentibus ampliavi, atque ad lucem typorum denuo deſtinavi, nullus dubitans, quin talis tractatulus quibuſdam, quales quales ſint, acceptus ſit futurus; ſi enim contingit eum ad manum illuminatorum Philoſophorum venire, amicè tales â me longè viliori monentur, quin ego quemlibet eorum per Deum oro, qui ſuum Solem pro bonis & malis lucere ſinit, ut ne conceſsa ſibi dona penitus â proximo abſtrahant, nec animum ſuum â caninâ invidiâ occupari permittant, perpendentes quantum peccatum ſit invidia, eò quod catalogus ille, iſtorum ſceleratorum, qui futura nova Hieroſolyma non inhabitaturi ſunt, canes i. e. invidioſos primos ponit, *Apocal.* 22. *v.* 15. Si verò ſunt, quorum captus antiquorum ſecretum nondum apprehendit, idque apprehendere deſiderant, ii certè hîc fidelem inſtructionem arcani hujus invenient; ſicut ego olim ex vivo ore veri Philoſophi habui: quâ in re multis â Deo intelligentiam & benedictionem animitus precor. Spero quoque quod ſanè tandem aliquando tempus advenerit, quo genus humanum ab exitiali hac vanitate, quâ jam totus Mundus ſe peſſundat, deſiſtet, & apertioribus oculis ſpiritualem omnium miraculorum

operatorem ſeu creatorem omnipotentem melius agnoſcet, ſine cujus omnipotenti providentiâ nullum humanum corpus, ex paucâ ſpermaticâ aquâ in tam dura oſſa, carnem, venas, ſanguinem rubicundum, &c. coagulari potuiſset, atque etiam multo minus homo poſt partum ſuum omnia neceſsaria ſibi ante parata inveniret, abſque quotidiana Dei creatione, nempe fruges & animalia ad cibum, lignum & lapides ad habitationem, & varia metalla ad inſtrumenta, quæ ſingula Divinâ operante potentiâ pariter è tenui liquore ſpermatico indurata indies depromuntur, cum tamen valdè mirabile ſit, liquorem aqueum in tam Compacta, ſonorè tinnientia, ac ſub malleo extenſibilia corpora metallorum indureſcere poſse, quæ corpora cunctis hominibus in omni hoc Mundo inſervire oportet tam divitib. quam pauperibus, præſertim ferrum, ſine quo nulla arbor cædi, nulla domus exſtrui, nullus ager arari, nil clavis conclavari, nulla navis ad navigationem ædificari, nec ulla Inſula habitari unquam potuiſset, unde ars metalla tractandi jam dudum ante diluvium in uſu fuit, ut *Gen.* 4. legitur quod Caini abnepotis Methuſchaëlis filius Lemecus, cum altera ejus uxore Tzilla Thubakaynum genuit, qui erudivit omnem fabrum ærarium & ferrarium. Quum er-

ergo ut dictum eſt, metalla ſint tam mirabilia corpora, quæ conſtant ex ſiccâ & tamen fluente aquâ, ſine quorum auxilio fere nullus homo vitam ſuam tranſigere poſset, ad quam neceſſariò quilibet habitatione quâdam metallorum ope confectâ opus habet, contra pluvias nives & frigora, ſiquidem abſque domiciliis & veſtibus homines vivere nequeunt, cum tamen exempla ſint, aliquos homines ſine ullo cibo aut potu multos annos vixiſse; Veteribus inde ſummâ cum admiratione exactiſſima Creatoris providentia, de unoquoque mortali evidenter conſpicienda fuit, qui propterea etiam ſuos ad agnitionem & gratitudinem erga Deum creatorem omnium iſtorum beneficiorum ſeriò adhortati ſunt, ac virtutibus atque bonis exemplis ijs prævesunt, diuque noctuque multis cum laboribus variè ſpeculati ſunt & allaborarunt, quo pacto mirabilia omnipotentis Creatoris ignaris oculariter demonſtrarent, atque ad ſequendum commoverent, que illorum bona intentio Omniſcienti Creatori tantopere placuit, ut illis multarum rerum, & præſertim prædictæ aquæ ſiccæ cognitionem & operationem inſpirarit, illorumque animus deprehenderit, quod omnia metalla ex iſta creverint, & quod etiam longe quid perfectius ex eâ fieri poſset, ſi prius omne heteroge-

neum, quod ortui metallorum ſupervenit, ſegregaretur, & ſubſequenter purum iſtud ens, tam ſimpliciter, ut gremium Naturæ prænarrata corpora fovet, coqueretur, id quod etiam inſpirante Deo ita aggreſſi ſunt & perfecerunt, tantamque perfectionem nacti ſunt, ut non aliter eandem rem nominare potuerint quam Lapidem benedictum Divinum, quaſi Divinitus datum, & quia cum eo poſtea inaudita & ſupernaturalia effecerunt, quod nullum aliud ingenium naturale præſtare æmularive poſſet, ideo ab hominibus ſapientes Magiſtri & Magi vocati ſunt, donec Pythagoras ille venit, qui nullo modo ſapiens ſed ſaltem Philoſophus ſeu amator Sapientiæ nominari voluit, eò quæ nemo niſi ſolus Deus ſit verè ſapiens. Qui titulus Philoſophi poſtea in genere doctis tributus eſt, in hodiernum uſque diem, quamvis plurimi indicatum illud Philoſophiæ magiſterium non intellexerint, imò pars prorſus non crediderit.

Illi autem veteres Philoſophi, qui illud per Vulcanum & artem Chemicam perfecerunt in uſum, & commodum poſteritatis idipſum literis, ænigmaticis tamen, parabolicis, & figurativis conſignarunt, tali methodo, quâ nec prorſus vulgeſceret, nec etiam penitus lateret. Cæterum Spiritum

Dei

Dei in illo eorum ſtylo myſtico interdum mirabiliter ludere voluiſſe, ad huc hodie non parvi viri credunt, & admirantur, quædam enim dictorum illorum quaſi prophetica facta ſunt, quamvis non habuerint verbum Dei Biblicum, ſicut magnus ille Græcus Philoſophus Plato in ſuis Alchymicis, mirabili modo (notante B. Auguſtino in ſummâ confeſſionum) hoc initium Evangelii Johannis ſcripſit *In principio erat illud Verbum, & Verbum illud erat apud Deum, eratque illud Verbum Deus, hoc erat in principio apud Deum, omnia per hoc facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil quod factum ſit; in ipſo vita erat & vita erat lux illa hominum: & lux iſta in tenebris lucet, ſed tenebræ eam non comprehenderunt*. Quæ verba S. Ioh. Evangeliſta, longo tempore poſt illum natus ſimiliter ſcripſit. Reperiuntur etiam in codice Turbæ Philoſophorum, quos Pythagoras congregavit, quæpiam inſignes ſententiæ, quæ in noſtræ Chriſtianæ fidei articulos quoſdam apprimè quadrant, videlicet quum iſti antiqui Lapidem ſuum filium virginis nominant, cujus matrem virginem eſse, & patrem non concubuiſse tradunt. Item: Lapidem de ſe ipſo mori & de ſe ipſo reſurgere. Item Milveſcindus ibidem ſic ait:

Creator animarum, cum has mortificat creaturas, poſtquam ſequeſtrat animas à corporibus, reddet eis animas, ut judicet, & remuneretur. Et Bonellus ibid. *Omnia vivunt, & moriuntur nutu Dei, & eſt natura, cui, cum humiditas vel combuſtio accidit, & cum eâ dimittitur per noctes, tunc ſimilis videtur mortuo, & tunc res illa igne indiget, quouſque illius corporis ſpiritus extrahatur, & per noctes dimittatur, ut homo in ſuo tumulo, & pulvis fiat; iis peractis Deus reddet ei animam ſuam, & ſpiritum ac infirmitate ablatâ, confortatur illa res & poſt coruſcationem emendatur, quemadmodum homo poſt reſurrectionem fortior fit & junior quam fuerat in hoc Mundo* &c. & Hermes in primo ſeptem tractatuum: *Niſi Judicij diem timerem, hujus ſcientiæ nihil patefacerem, nec ulli prophetarem,* &c. Et ſimilia multa, ut non immeritò in epiſtola quadam Rhaſis exaraverit: Philoſophos cum hoc ſuper omnes alios ſe magnificaſse, & vaticinatos eſse futura. E contra Divini Prophetæ in ſuis Prophetijs aliquando utuntur ſimilitudinibus, quæ terminis operis Chemici conformes ſunt, ut Excellens ille Phyſicus Petrus Bonus Ferrarienſis in ſua marg. pret. nov. cap. 9. teſtatur; inquiens; *Quod ſi fidem noſtram Chriſtianam non offenderem, neque legem, auderem dicere,*

cere, quoſdam antiquorum Prophetarum habuiſſe (ſi fas eſſet ſic loqui) artem, ut Moyſem, David, Salomonem, & quoſdam alios, & ſimiliter Joannem Evangeliſtam, & eam dictis Domini intermiſcuerunt, & occultaverunt. Unde Rhaſis in Lumine Luminum: *Secreta adminiſtratione dignum judicavi, ut id ad propriam reduceret naturam. Unde ſententiam hujus ſermonis in lege Moyſi.* &c. & Roſinus: *Deus tribuit rectè Moyſi*, &c. Et Alphidius in libro Malachiæ Prophetæ: *Hujus autem rei purgandæ per Prophetam benè prædictum eſſe legimus, Totâ die ſedebit conſtans, & mundabit argentum, ac purgabit filios Levi, quâ purgatione peractâ erit cœlum novum & terra nova, & videbit omnis caro ſalutare ſuum, cum ſe cognoverit ab omni corruptione fore mundatam, & ad priſtinam ſanitatem, in quâ condita fuerat, redire*, &c. Hiſce autem dictis ſanctum Dei verbum non prophanatur, ſed potius fides noſtra Chriſtiana eò certior fit, quando percipimus, quod myſterium noſtræ beatitudinis, & conjugij cum Domino noſtro Jeſu Criſto, non tantum â Deo in ſuo verbo ſit corroboratum, ſed etiam in Natura tam precioſum, & manifeſtum habeat teſtimonium, ut quoque Ethnicis quibuſdam, Dei in-

ſpiratione, ut ipſi (confitentur) conſpicuum fuerit, ſicut paſſim in doctrinâ ovi Philoſophorum ab antiquis proponitur. Contradicat ſanè quiſquis volet, ego tamen totus ſtupeo, & extremè miror, maximam iſtam concordantiam, convenientiamque ſimilitudinariam famoſiſſimi hujus ſecreti cum ſalvificatione hominis, quia ſicut ſalvator noſter in manifeſtatione ſua in carne viliſſimus omnium hominum, & contemptiſſimus videbatur, qui tamen ſupremus & omnipotens Dei filius erat, noſtras tamen omnes qualitates carneas, excepto peccato, & totalem humanam miſeriam induebat, & violentam mortem patiebatur, & reſurgebat, aliter iſto ſanctiſſimo angulari lapide (ut ſcriptura eum vocat) homines ad vitam æternam tingi non potuiſſent; ita prorſus ſe res habet cum metallis tingendis, itidem namque ſummum in cœlo fit infimum in terra, omniuſque tingendis totaliter ſimile, ſed longe miſerius, & moritur pro illis, & reſurgit atque infinitè ad perpetuam perfectionem tincturâ ſuâ tingit, ideo pulcrum & ſanctum arcanum eſt, de quo Morienus & alij illuminati exclamarunt: *Hoc magiſterium non eſt niſi ſecretum ſecretorum Dei altiſſimi*

&

& magni, ipſe enim illud ſuis Prophetis, & Philoſophis commendavit, quorum animas in ſuo paradiſo collocavit. Sicut etiam omnis plenitudo ſacroſanctæ Trinitatis in Domino noſtro Jeſu Chriſto habitat corporaliter, & omnia per ipſum creata ſunt; ita teſtibus cunctis Philoſophis tria principia omnium rerum in perfecta conjunctione corporaliter reperiuntur in hoc lapide, & nulla creatura ſine eo poteſt vivere. Sicut etiam maxima pars Mundi errat in cognitione Domini noſtri Jeſu Chriſti, & plurimus numerus eorum, quæ Chriſtum in humilitate docere debebant, incidunt cum ſuperbia ſuâ in Antichriſtum, & ſe cum alijs ſeducunt, eò quod non manent in humillimo Chriſto: ita quoque ſuperbi liberalium artium Profeſſores, qui hanc ſimplicem artem alios docere debebant, ipſi neſciunt, eò quod non manent in vili ſimplicitate Naturæ. Ad hæc accedit magna noſtra calamitas, quod natura ſemper meliora ſpernamus & pejora eligâmus, decepti apparentia, ut Judæi Joannem Baptiſtam pro Meſſia accipere volebant rejicientes Jeſum longè miraculoſiorem, ſic & hic contingit, dum ſemper ad ſpecioſiora ſubjecta curritur, ſcilicet ad aurum & Mercurium communem, prætereundo ſolvens noſtrum univerſale, quod aſpectu non tam ſpecioſum ſit, cum tamen

omnis hactenus invenenit, Mercurium vulgi; proprium agens in ſe non habere, quo poſſet ſeipſum perficere, quemadmodum ova illa, quæ abſque coitu galli proveniunt, pullos excludere nequeunt, in cujus differentiam Philoſophi lapidem hunc, Argentum vivum animatum appellarunt, principia ejus obſcurè deſcribentes, ut pauci propter obſcuritatem, & infinita nomina ovi iſtius unici omnia in ſe continentis, veram cognitionem acquirere valuerint, cui malo in novo lumine Chemico Sendivogiano occurſum, triumque principiorum Philoſophicorum ſeries luculentiſſima in eodem detecta eſt. Quum verò tertium de Sale communicandi impedimenta ſenſerit, volui & debui, grati hujus parentis in honorem, declarationem talem emittere, dedicatam his atque officioſè oblatam, quibus placebit, iſti enim quibus non arridebunt, ſed vileſcent hæc mea tenuia officia, poterunt inaſpecta relinquere, & oculos ſuos aliis paſcere cum neque damnum neque proficuum mihi inde reſultet, atque etiam jam pridem compertum habeam, quod nemo valeat ſe ita exhibere, ut unicuique homini poſſet placere. Porro etſi non quiſque ordinem artis totum hic præſcriptum inveniet, quod nemini ſic

ſcri-

ſcribere licet, attamen liber librum explicat, atqte etiam ſatis utilitatis hic libellus gratis dabit, & reſiduum reperiendum indicabit dummodo ſedula lectio bonorum Auctorum continuatur, donec integra ſituatio Arabiæ felicis ſive Regni magni illius Geberi exactiſſimè cognoſcatur, ſic enim non tantopere timendum erit, ne artifici claſſis ſubſtantiæ ſuæ in Oceano laborationis pereat & frangatur, ut Regi Jehoſchavato accidit, de quo legitur 1. *Reg.* 22. 48. quæ habuit decem naves oceani, quæ proficiſcerentur Ophirum auri cauſa, ſed non ivit, quia fracta eſt claſſis Hetzione-Geberi. Sed qui ſimiliter ſaltem auri cauſa, & non unicè propter mirabilia Creatoris agnoſcenda iſtuc proficiſci deſiderabit, is pro certo calamitoſum naufragium corporis & animæ experietur; attendat ergô unuſquiſque artis diſcipulus optimis monitis majorum noſtrorum (quorum nonnulla in priori Germanico poſt ſingula capitula rythmice conſignaveram, hicque ſimul Latinè feci) neminem enim unquam pœnituit, ſapientibus morigerum fuiſſe, ex quibus etiam fidele hoc conſilium habeo, Lectori benevolo ita conſulendi, & quæ utilia illi fore ſcio, recenſendi, ut ſequitur:

Præ-

Præmiſſa hæc cum ſequentibus exaravi in patriâ Joannis Dee, vergente ad clauſulam anno à Chriſto nato.

*O pr*VD*entes* VI*r*I V*b*I VIVI*t*I*s?*
*obn*IX*è peto* V*t Con*V*erſe*MV*r*,

Ad

Ad rectè ſentientem

LECTOREM

PRÆFATIO.

DEum intra ſex dies creatum hunc Mundum, finito, decurtatoque termino magnorum ac generalium ſex dierum, peniti ſſimè innovaturum, ac in ſempiternam, cryſtallinam, vividam, immarceſcibilem, & per omnem æternitatem intranſitoriam cæleſtem eſſentialitatem, exiſtentem in lucidiſſimo atq; inenarrabiliter fulgenti fulgore infinitæ omnipræſentiſque gloriæ Agni Dni, & Orientis ex alto, confirmaturum; non ſolum ejus ac ſervorum ipſius veraciſſimum os, in ſancta Scriptura affirmavit, ſed idipſum quoque in libro Naturæ temporariæ, in opere regenerationis Philoſophorum, mediante Philoſophicâ clave, unicè reſerante & obſerante, omni tempore [cui tale Divina Sapientia confert) tanquam in ſpeculo videre eſt, ubi viva effigies primordii creationis, lapſus humani & Mundi maledictionis, operis quoque redemptionis, & futuræ beatiſſimæ omnium rerum meliorationis, à digno artiſtâ viſibiliter

ter conſpicitur, de quibus ab Hermete Triſmegiſto, uſque ad noſtra tempora, non pauci Philoſophi multa ſcripſerunt, verunque teſtimonium perhibuerunt, ſicut indubitabiles eorum atteſtationes, in egregio illo libro Turbæ philoſophorum, nec non alijs ſapientum ſcriptis, ſufficienter extant, ut eas hic citare plane ſupervacaneum ſit. Nihilo ſecius tamen occultum illud Naturæ ſpeculum (ſecretum Philoſophorum ab iis intitulatum) â prima ejus inventione, propter hominum indignitatem, & abuſum, maximoperè abſconditum, & celatum fuit, adeò ut ſemper ex multis millibus vix unus ad illud pervenire potuerit, donec tandem hocce ultimo tempore, quo horologium Mundi finaliter volvitur, diu obſcuratum Naturæ lumen, volente altiſſimo, in multis ſe conſpicuum dedit, ut de dictis Dei miraculis, illuminata mente, Theo- & Philoſophicè conſcripſerint, inter quos etiam noſter ſecundum doctrinam per dilectus in Deo nunc requieſcens parens Sendivogius fuit, cujus editum novum lumen Chemicum, in tota ferè Europa, ſapientibus notum charumque eſt, qui etiam non parum dolent, ſuum hunc tam eximium ſocium, veritatiſque Philoſophicæ adeò ſtrenuum, ac cunctâ contradictione validiorem aſſertorum, â male feriatis, inſipidis, & virulentis calumniatoribus eſſe impeditum, quo minus

nus

nus concrediti ſibi incomparabilis talenti reliqua, quæ ſupra prioris in lucem emiſſa celeberrima opuſcula promiſerat, depromere fas habuerit.

Quoniam autem gratuita Divina miſeratio nobis itidem ſcientiam permagni hujus magiſterii conceſſerit, animus eſt inſiſtere veſtigiis parentis, ac filiis veritatis tertium principium mineralium, ſummoperè hactenus deſideratum, nempe Salem Philoſophorum (Mercurii enim & Sulphuris deſcriptionem prædictum Lumen jam pridem continet excellentiſsimam) pariter declarare, & fideliter communicare: quâ re quin apud eos qualemcumque gratiam, adverſariæ verò, & irriſoriæ partis calumniam, & ſannam nos merituros, equidem non eſt dubium. Quum verò (ut Deus teſtis ſit) noſtrâ hâc intentione nihil aliud quærimus, quam inſervire proximo noſtro fraterno, & drachmam donorum â patre luminum conceſſam non ut infidelis & ignavus ſervus in terram defodere, ſed cum eâ fœnus, & uſuram in honorem altiſsimi exercere: Ita nihil morâmur ullius hominis erga nos judicium ſiniſtrum, neque etiam per totam hanc vitam aliquam vanam gloriam, aut terrenam felicitatem quæremus, quorum obtinendorum tamen nobis longè propinquior via eſſet, quàm aliis, quibus incognitus eſt Naturæ theſaurus, haberemusque cuncta Orbis precioſa in vili quo-

dam

dam ſtercore reperibilia, ſi nos demens deſideratio talium (quod abſit) opplevifſet. Verum enim verò cupidinem hanc lubenti corde ijs relinquimus, qui ſinunt animum ſuum vel ab avaritia, omnium malorum radice raptari, vel à ſuperbia inflari, vel à Mundanâ voluptate inclinari, eſtque potius noſtrum totale gaudium, & deſiderium, & votum, & omnis fiducia Deus Creator noſter, qui myſteria ſua, timentibus ſe, revelat, & etiam nobis arcanum hoc Naturæ ſpeculum (quod nunquam ab ullo uſquam irregenerato aliquo videbitur) patefecit, de quo hic, quantum decet, indicium faciemus, cum iſtac ſimul officioſa pollicitatione, quatenus gratum & acceptum eſſe arcanorum filiis hoc tertium principium animadverti poterit, ipſos fortaſſe conſimiliter per nos Harmoniæ Sendivogianæ compotes futuros. Admonitos quoque eos ipſos volumus, ut ſenſum maximè interiorem hujus tractatuli aucupentur, nam omne rerum bonum eſt internum, & non externum atque plerumque in tali ſubjecto adinvenibile, quod extraneà ſpecie contemptibile videtur.

Cæterum hoc non iiſdem exaravimus, quia jamdum talia intelligunt (quorum tamen ſupra quam cuiquam credibile valdè exiguus eſt numerus) ſed tantummodo in gratiam & commodum eorum, qui mediante Divinâ invocatione ejuſmodi cognoſcendis operam dant, quorum quiſque hoc conſilium à nobis habeat, ut ne

de-

deſiſtat vel intermittat quotidiè coram throno Divinæ gratiæ ſe proſternere, & ad impetrandum Spiritum Sanctum, precibus ardentibus, patrem cæleſtem fatigare, ex toto corde ſic ſuſpirando.

OBſecro Domine, Deus fortiſſime, maxime, & ſummè reverende, ſervans fœdus & miſericordiam timentibus te, & ſervantibus præcepta tua; ego miſer vermis incurvo me ante ſcabellum gratioſi tui throni, & balbutiente meâ linguâ gratias humillimas tibi ago, ex intimo cordis mei centro, pro omni tua benignitate, gratia & miſericordia, qua me, ab utero matris meæ, affeciſti, imprimis verò, quod ex gratioſâ clementiâ mihi notum feciſti, me nullo modo tibi placere poſſe, niſi tu idipſum mihi des, & ducas me Spiritu Sapientiæ in viis tuis. Itaque gemo ad te, per acerbitatem mortis Jeſu Chriſti, ut velis mihi largiri ſapientiam, & intellectum, ut cognoſcam, quid tibi placeat, & ſemper inveniar ſervus tuus fidelis. O Jehovah! ego ſum tuus ſervus, filius ancillæ tuæ, ſine me adinvenire gratiam, & miſericoriam, coram tuis oculis, nec rejicias me ex tuis filiis. Da mihi Sapientiam quæ indeſinenter eſt circum thronum tuum, demitte eam ex ſanctis cœlis tuis, & è throno gloriæ tuæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tuæ, ut ea ſe det in me, & mecum laboret; nam abſq; ſapientiâ, à te procedente, nihil ſum, nec ullo modo intelligo ſanctam voluntatem, & beneplacitum tuum. Imperti mihi ſpiritum, mentem, virtutem, gratiam & charitatem Jeſu Chriſti, ut inde penitus renaſcar, & à peccatis liberer, quæ inceſsabiliter mihi adhærent, & utere me in hoc Mundo ad ſervitium tuorum filiorum, in nominis tui gloriam. Fac me vaſculum miſericordiæ tuæ, & trahe me in puritatem & claritatem pleniſſimæ tuæ Divinæ charitatis, ut in hac omninò demergar, & omne illud in me emoriatur, quicquid tu non ipſus es. Duc me per ſpiritum tuum in viis tuis, & da me tibi fidelem manere, uſque ad exitum vitæ meæ. Dignare me, ô omnipotens, dilectiſſime Domine, ſecundum infinitam omnipotentiam tuam, ut à te nunquam declinem, ſed invictâ fide & divinâ fortitudine, inſeparabiliter tibi affixus, & conjunctus maneam. Fac lucere ex me ſemper nobilem, & pretioſam Chriſti vitam, & reales fructus perferre. Largire etiam mihi media & occaſionem ut utilis ſim in hoc Mundo fratribus, & ſororibus meis, iisque libenter ſerviam cum omnibus illis, quæ tu mihi conceſſiſti.

O Jehova! Jehova! qui me creaſti, & proprio corde ab ęterna morte redemiſti habeas me obſecro totaliter in te commendatum; tibi ſit laus, honor, vir-

tus, potentia & gloria ab omni creaturâ in ſecula ſeculorum, Amen!

His vel ſimilibus, cordis humiliati & contriti, ſuſpiriis, quotidie ad Omnipotentem glorioſiſſimum patrem, & redemptorem noſtrum balbutitis tantum abeſt (fraterne mi lector) ut ullum bonum (quoad non eſt damno animæ) nobis denegetur, ut potius Divinitatem ipſam conſequamur, & prorſus divini ſiamus omnibus angelis excelſiores, ſicut etiam omnia noſtra ſunt, & nos ſumus Chriſti & Chriſtus eſt Dei, ò homo, homo nunquam hoc obliviſcaris, ſisque hiſce in ſacroſancta Chriſti vulnera fideliter commendatus & deditus.

à Tuo charitatis debitore
I.F.H.S. Filio Sendivogii.

cujus nomen dat hoc anagramma:

Sit! Piſchon horti Æden tutò fruar.

item aliter d, pro t, poſito:
Durè ſit thronus doctrina Sophia.

ROgamini verò poſſeſſores, & intellectores hujus permagni doni Dei, per Dominum noſtrum, qui non vult margaritas porcis objectas, ut maximo ſtudio ſanctum hoc ſecretum prohibeatis, & cuſtodiatis ab indignis, & malis irriſoribus, ne cumulatim in nos ruant maledictiones Mago-

rum

rum, & Philoſophorum antiquiſſimorum, quarum mentionem facit magnus Roſarius his verbis: In arte noſtri magiſterii nihil eſt celatum à Philoſophis, excepto ſecreto artis, quod non licet cuiquam revelare: quod ſi fieret, ille malediceretur, & indignationem Domini incurreret, & apoplexiâ moreretur. Item Lullius in Theor. teſt. Cap. 6. Juro tibi ſupra animam meam, quod ea ſi reveles, damnatus es: quia ſi revelares brevibus verbis illud quod Deus longinquo tempore formavit, in d.e magni judicii damnareris, nec tibi remitteretur caſus læſæ majeſtatis, &c. & Baſil. Val. in ſuo teſt.: Hoc foret peccatum graviſſimum, Et omnium maximum, ſi indignus à te reſciſceret &c. Item Ariſt. in epiſt. ad Alex. Si perveniret (ſcilicet per apertam meam ſcripturam) ad indignos hoc ultimum bonum, & arcanum Divinum, ego ſane exiſterem tranſgreſſor Divinæ gratiæ, & fraudator Cæleſtis ſigilli, & occultæ revelationis: ea propter ſub atteſtatione Divini judicii &c. Et Hermes: Ne mali ad peccata potentes fiant, ac Philoſophi de eorum peccatis rationem eſſent reddituri.

De Tertio Principio rerum mineralium.

CAPITULUM I.

Conditio & qualitas Salis Naturæ.

SAL (à veteribus ſilentio involutus, à Johanne Iſaco Hollando autem, necnon Baſilio Valentino, & Paracelſo indigitatus, & declaratus (ſicut eſt omnium rerum tertium principium (ſic ordinem parentis continuamus, qui Mercurio dedit primum locum, alterum Sulphuri, tertium Sali deſcribendo reſervavit, aliàs nullum principiorum eſt primum vel ultimum, cùm ſint unius ejuſdem originis & coæqualis primordii) ita quoque principaliter exiſtit ens initiale tertium mineralium, ducens in ſe duo reliqua Primordia, Mercurium videlicet & Sulphur, atque in ſuo ortu matrem, ſeu genitricis loco habet, conſtringentem Saturni impreſſionem, unde metallis corpus fit. Eſt autem ſal triplex, primò centralis, qui in centro elementorum, qualificatione aſtrorum, per ſpiritum Mundi, abſque ul-

la ceſſatione, generatur, & radiis Solis & Lunæ, in mari Philoſophico gubernatur. Secundò eſt ſal ſpermaticus, ceu domicilium inviſibilis ſeminis, qui inſuavi naturali calore, per putrifactionem ex ſe dat formam & vegetabilitatem ſuam; quatenus inviſibile illud ſemen volatiliſſimum, non externo æſtu, vel alio contrario violentoque accidenti, diſſipetur & deſtruatur, ſic enim nil amplius exinde creſcere poteſt. Tertius ſal eſt ultima materia omnium rerum, poſt deſtructionem earundem in illis inventa, & ſuperſtes reperta.

Trinus ergò hîc ſal illicò ſub primo Creationis puncto, Deo dicente, fiat: ortum habuit, & ex nihilo ejus exiſtentia facta eſt, quandoquidem nihil aliud fuit originale Mundi chaos, quàm ſalſa quædam caligo, nubes vel nebula abyſsi, quæ, per Verbum Logon, ex inviſibilibus concentrata eſt, & per vocationem Dei tanquam ens primmateriale, ſive Hyle prodiit, exiſtens actu neque ſiccum, neque humidum, neque ſpiſsum, neque tenue, neque lucidum, neque obſcurum, neque calidum; neque frigidum, neque durum, neque molle, ſed duntaxat mixtum Chaos, ex quo pòſt, omnia quæ ſunt, condita, & ſeparata fuerunt: Sed præterimus ea hîc, tractantes ſaltem noſtrum Salem, nempe tertium Principium mineralium, quod etiam eſt initium operis Philoſo-

loſophici. Omninò autem lectorem, qui ex hoc vult utilitatem, noſtramque mentem capere, ante omnia oportet aliorum verorum Philoſophorum, ac imprimis Sendivogiana ſcripta, ſuperiùs citata, ſtudioſiſſimè perlegiſſe, atque ex eis generationem, & prima aſtra metallorum, quæ omnia ex una radice procedunt, fundamentaliter cognoviſſe, nam qui exactè novit metallorũ generationem, non ignorat quoque eorundem meliorationem, & tranſmutationem. Cognito ſic noſtro ſalis fonte, ulterior hîc inſtructio dabitur, quo pacto, poſt devotam precationem, Divinâ benedicente gratiâ, ex illo precioſus, ac niveus Sal ſit obtinendus, atque aqua viva paradiſi haurienda, nec non cum eâ Tinctura Philoſophica præparanda, quæ eſt ſummus theſaurus in hac vitâ, & ſupremæ nobilitatis donum, à Deo ſapientibus donatum.

Rythmi.

Ora Deum pro Sapientia, clementia &
gratia tibi danda,
Quibus hæc ars obtinetur:
Nulla etiam alia res imaginationem tuam
occupet;
Quam Hyle Phyloſophorum.
In ejus ſalino fonte noſtri Solis ac Lunę
Invenies theſaurum filii Solis.

CAPUT II.

Ubi quærendus Sal noſter?

QUemadmodum noſter Azoth omnium metallorum eſt ſemen, atque à Natura in æqualem Elementarem proportionem, temperamentum, & concordantiam ſeptem planetarum conſtitutus, & compoſitus eſt; ſic etiam ſolimodè in eo, & nullâ re aliâ Mundi, fortiſſimæ fortitudinis fortitudo fortis indaganda, & obviam ſperanda, nam in universâ Naturâ rerum res non eſt niſi una ex qua ars noſtrâ ſe veram eſſe profitetur, & in eâ tota conſiſtit; & ſine eâ non, iſta eſt lapis & non lapis, & vocatur lapis ſimilitudinariè, primò quia ejus minera, initio ex antris terræ deſumpta profectò eſt lapis, & durum ſubiectum ſiccum, quod inſtar lapidis comminuitur & teritur; Secundò, quia poſt deſtructionem ejus formę (quæ antea ceu fœtidum ſulphur tollenda eſt) & diviſionem in ſuas partes (à natura ipſa compoſitas & congregatas) in unicam eſſentiam redigatur, & in lapidem igni incremabilem cerifluumque, ſecundùm naturam ſuaviter digeratur neceſſe eſt. Si ergò, quid quæras, compertum habes, etiam hunc noſtrum lapidem noviſti, nam quicquid generare & producere vis, ejusdem ſemen habere

opor-

oportet. Omnes verò non tantùm Philoſophi teſtantur, ſed & ipſa ratio convincit, tincturam illam metallicam nil eſse aliud, quàm aurum, in ſupremum maturitatis gradum digeſtum, ſi enim ex ulla re aliâ fieret tinctura aurifica, præterquam ex ente auri, ſequeretur, illam quoque omnia alia debere ſic tingere, ut metalla tingere ſolet, quod non efficit, verùm Mercurius Metallicus ſolummodò, ejus vi tingente ſeu perficiente, fit actu aurum, vel argentum, quod priùs in potentia fuerat, & hoc tali modo: quando unicus metallorum Mercurius (qui ob ſuum agens & patiens, in uno eodemque ejus ventre cohabitantia, Hermaphroditus dicitur, atque ad albedinem puram fixam digeſtus, argentum, ad rubedinem verò, aurum fit) in ſpermaticâ ſuâ immaturitate ſumitur, ac tantummodo illud homogeneum coctione maturatur ſeu figitur, cujus finale ſignum eſt, ut intenſè rubeat, & tota maſſa ne tantillum fumando vel vaporando in omni ignis flamma emittat, vel pondere levior fiat, poſtea iterum recenti menſtruo Mundi diſsolvatur, ut fixiſſima illa portio per totum fluens in alvum ejus recipiatur, ubi tale ſulphur fixum ad longè faciliorem ſolubilitatem redigitur, ſulphur autem volatile, per maximum fixi calorem magneticum, ſic pariter citò matureſcit &c. una enim Mercurialis natura

 alte-

alteram non vult dimittere, tunc tandem ejuſmodi rubrum vel album aurum vel potius Antimonium maturum, fixum, & perfectum in frigore congelaſcens cernetur, in calore verò inſtar ceræ facillimè liqueſcet, atque in quovis liquore ſolubile erit, & ſe per omnes ejus partes diſtribuet, colorando illud per totum, ſicut parùm croci multam aquam colorat, iſta itaque fixa liquabilitas, ad metalla in fluxu veniens, cum eis in modum aquæ, in intenſiſſimo calore, per minima confluet, fixaque aqua per totum volatilem retinebit, & à combuſtione defendet. Duplex autem calor ignis & ſulphuris, tam acriter aget, ut imperfectus Mercurius neutiquam reſiſtere potuerit, ſed ferè poſt ſemihoram, cum editione ſtrepitûs ſeu crepitûs cujuſdam, ſe ſuperatum eſſe indicaverit, intimò ejus foras producto, ac toto in purum metallum perfectum converſo. Quicumque ergò unquam vel philoſophicam, vel ullam particularem tincturam habuit, illam non niſi ex hoc fundamento habere potuit, ſicuti magnus ille ex ſuperiore Alſatia oriundus noſter Con-Germanus Philoſophus Baſilius Valentinus, (qui ante ſeſquiſeculum in patria mea vixit) de diverſis tincturis ex hac baſi obtinendis teſtimonium ſincerum, in curru ſuo triumphali reliquit, ſic ſcribens: Lapis

pis ignis (conficilis ex Antimonio) non tingit univerſaliter, ſicut Lapis ille Philoſophorum, qui paratur ex Solis eſſentiâ: minimè omnium: tantùm enim eidem inditum non eſt, ad efficiendum ſuâ virtute: ſed ſolummodò particulariter tingit, videlicet Lunam in Solem præter ſtannum & plumbum: Martem & Venerem equidem omittit, niſi quantum hac in parte inde per ſeparationem elici poteſt, nec una pars ejus ultra quinque partes tranſmutare poteſt, quod fixum maneat in Saturno, & Antimonio ipſo, in quartatione & adurentibus, cùm è contra verus ille & antiquiſſimus Philoſophorum magnus Lapis, infinita efficere queat. Conſimiliter in augmentatione ſui Lapis ignis ulterius tantoperè exaltari nequit, ſed tamen aurum ipſum purum eſt & fixum. Item, animadvertendum porrò Lectori venit, non unius generis inveniri Lapides, qui particulariter tingunt, omnes enim fixos tingentes pulveres appello lapides, ſed ſemper unus tingit altero efficaciùs, & altiùs, qualis eſt primò Lapis Philoſophorum qui omnium primas obtinet, hunc ſequitur Tinctura Solis & Lunæ ad rubeum & ad album, poſtea tinctura vitrioli & Veneris, nec non tinctura Martis, quarum utraque tincturam Solis etiam in ſe habet, ſi modo ad fixationem perſeverantem

prius deducta fuerit, hanc excipit tinctura Jovis & Saturni ad coagulandũ Mercuriũ, denique ipſiusmet Mercurii tinctura; hæc eſt igitur differentia, & multiplex diverſitas Lapidum & tincturarum, omnes tamen ex uno ſemine exque unicâ matre initiali generatæ ſunt, unde genuinum opus univerſale itidem profluxit, extra quam nulla præterea tinctura Metallica adinveniri unquam poteſt, in omnibus inquam rebus, quomodocunque nominentur, alii lapides qualeſcunque tàm nobiles quàm ignobiles, me nunc non movent; de quibus etiam nil quicquam dictum, ſcriptumve volo, quoniam nullam pręterea vim habent extra Medicinam. Similiter de animalibus & vegetabilibus lapidibus nunc itidem nil mentionis faciam, quâ ad medicos uſus ſaltim ordinati ſunt, nec ullum opus metallicum efficere valent, ad unicam ne quidem vim ex ſeſe præſtandam; quorum omnium virtus & potentia tàm mineralium (inquam) quam vegetabilium, animaliumque lapidum cumulatim ſimul in Lapide Philoſophico reperitur. Salia omnium nullam omninò poteſtatem tingendi habet: ſed tantùm claves ſunt ad præparationem lapidum, aliâs per ſe ipſa nil poſſunt, niſi quod attinet ad ſalia metallorum, ac mineralium (nunc aliquid loquor, ſi me rectè percipere voles, quodnam diſcrimen inter mineralium

lium ſalia intellectum velim) nequaquam omittenda nec rejicienda ſunt, quoad tincturas: ſiquidem eis in compoſitione non poſſumus carere, namque in his invenitur eximius ille theſaurus, unde omnis fixio cum permanentiâ originem, verumque ac unicum fundamentum habet; hucuſque Baſilius Valentinus, in prædictâ ergo radice cuncta philoſophica veritas conſiſtit, & qui fundamentum hoc exactè novit, quod nimirum ſuperius eſt penitiſſimè ſicut id quod eſt inferius, & viceverſa, illum uſus & operatio philoſophicæ clavis non latebit, quæ amarâ ſuâ ponticitate omnia calcinat & reincrudat; quanquam tali reincrudatione corporum perfectorum tantùm idem illud ſperma reperiretur, quod jam pridem à Natura paratum haberi poteſt, nec opus eſset corpus compactum reducere, ſed potiùs ſperma hoc, ſicut a Natura molle & immaturum datur, ad maturitatem provehi poterit. Sis itaque prorſum intentus primitivo huic ſubiecto metallico, quod natura quidem metallicam in formam efformavit, reliquit autem immaturum & incompletum, in cujus molli monte eò faciliùs foveam fodere poteris, ex eaque puram aquam ponticam habere, quam fontina circundedit, quæ ſola & nuſquam alia unda, apta nata eſt, cum ſua propria farina

metallica, & ſolari fermento in paſtam formari, atque in ambroſiam concoqui, & quamvis noſter lapis in omnibus ſeptem planetis unius ſit generis ut Philoſphi dicunt, tàm pauperes (ſcillicet quinque imperfecta metalla) quàm divites (ſive duo perfecta metalla) eum habere, omnium tamen optimus reperitur in recenti & intacto receptaculo Saturni, hujus nimirùm, cujus filium non ſine myſterio totus Mundus die ac nocte ante oculos habet, eoque videndo utitur, & tamen nullis oculorum ſpecillis adducitur, ut pervideret, vel ſaltem crederet, hoc maximum arcanum in illo eſſe, affirmantibus & jurantibus omnibus Philoſophis quod is ſit arca arcanorum ſuorum, & ſpiritum ſolis intestinum & inviſceratum in ſeſe detineat, clarius jam ovum noſtrum vitriolatum depingere nequimus, dummodò dignoſcatur aliquotuplex proles Saturnia, ſcilicet: *Stibium triumphans: Biſemuthum ad candelam liqueſcens: Coboletum magis quàm plumbum & ferrum nigrens: Plumbum probator exiſtens: Plumbites pictoribus inſerviens: Zincbinum colorans, ſeque ferè inſtar ipſiuſmet Mercurii diverſiſſimè mirandum oſtendens: Metallago ab aurâ & calcinabilis & vitrioleſcens, &c.* licet inevitabilis generis humani coquus ſerenus ille Vulcanus, ex nigris parentibus, ceu atro ſilice & chalybe proveniens, etiam ex ſingulis prædictis

præſtantia medicamenta parare non nequiverit, at ab eis omnibus noſter differt Mercurius volatilis.

Eſt quidam Lapis & non lapis,
In quo tota ars conſiſtit,
Natura eum ſic fecit,
Sed nondum ad perfectionem perduxit,
Non reperies hunc ſuper terram creſcentē,
Creſcit ſolummodò in montium cavernis,
Ab eo tota hæc ars dependet,
Nam qui hujus rei habet vaporem,
Leonis rubei aureum ſplendorem,
Mercurium purum & clarum,
Atque in hoc novit ſulphur rubrum,
Penes talem eſt totum fundamentum.

CAPUT III.

De ſolutione.

INſtante nobIs frIgIDâ MonarChIa SeptentrIonaLI: quàm brevi ſequetur Mundi calcinatio, æquiſſimum foret etiam initium facere philoſophicam calcinationem ſive ſolutionem (quę Princeps eſt Chemicę Monarchię) totaliter Mundo detegendi, quâ cognitâ multis non difficile futurum eſſet artem a auriferam tractandi, ac intra breve tempus dominium in omnes Naturæ

theſauros obtinendi, quod unicum medium eſſet, auri ſacram famem, quæ jam (heu heu dolor!) omnes ferè terrarum incolas ad deflendam perniciem rapit, ex humanis finibus exterminandi, & aureum vitulum, quem nunc magni cum parvis adorant, in honorem Dei dejiciendi: cùm verò hæc cum aliis adhuc latentibus arcanis pertineant ad Eliam artiſtam, quem jam jam præibunt, quæ dudum Paracelſus prædixit: nempe quod tertia pars Mundi occidetur gladio, altera abſumetur peſte & fame, tertia vix erit reſidua, etiam ordines (ſcilicet ſepticipitis beſtiæ) interibunt & penitùs è Mundo tollentur, tunc (inquit) in locum ſuum atque in integrum res reſtituetur, & aureum erit ſeculum, tunc homo ad ſanum intellectum perveniet, vivetque humano more &c. Ideò ſint talia penes illam perſonam, quam Deus ad hoc coronavit, interim nos ſcribimus ea, quibus hoc tempore poſſumus prodeſse inquiſitori artis, & dicimus ſecundùm omnes Philoſophos, quod vera ſolutio eſt clavis totius hujus artis, quæ etiam triplex eſt, prima corporis crudi, ſecunda terræ philoſophicæ, & tertia in multiplicatione. Quoniam verò calcinatum aliquid faciliùs ſolvitur, quàm non calcinatum, ideò neceſſariò calcinatio & deſtructio ſulphureæ impuritatis; nec

non fœtoris combuſtibilis præcedat, & ſi nonnihil opitulantium aquarum, vel mẽſtruorũ adhibeatur, penitus deinde recedat,&omninò nihil heterogenei remaneat,ſimul ſummam hanc cautelam habendo,ne fortè per nimium externum calorem, aut aliud accidẽs detrimentoſum, Lapidis interna vis generativa, & multiplicativa interimatur, aduratur, vel fugetur,cujus rei Philoſophi ſeriam dant admonitionem,in Turba dicentes: in purificatione ejus maximè caveto, & curam habeto, ne virtus activa comburatur,vel ſuffocetur,namq; nullum ſemen creſcit,aut multiplicatur, quando ejus vis generativa calore externo aufertur,habitô autem ſpermate,totum poſtea laborem leniter coquendo perficies, primò enim ex magneſia ſperma colligimus, collectum putrefacimus, putrefactum ſolvimus,ſolutum dividimus,diviſum purificamus,purificatũ unimus, & ſic opus adimpletur, & ut auctor vetuſtiſſimi duelli ſive dialogi lapidis cum auro & Mercurio vulgaribus inquit:*Per Deum omnipotentem,necnon animæ meæ ſalutem indico & notum facio vobis indagatoribus hujus artis excellentiſſimæ, ex fideli mente, ac commiſeratione diuturnæ inveſtigationis, quod totum opus noſtrum ſit ſaltim ex una re, & in ſeipſo perficiatur, nec plus neceſſe habeat, quàm ſolutionem, & reinſpiſſationem,idq; fieri debet ſine ulla re alienâ,ſicut*

gla-

glacies in ſicco vaſe ſuper ignem collocata in calore aqua fit. Ita etiam lapis noſter non pluris indiget, quã auxilii artificis per ejus manualem operationem, nec non ignis naturalis, per ſe ſolum enim hoc non poteſt, quamvis æternùm jaceret in terra, quocirca juvandus eſt, minimè tamen res peregrinas & contrarias ei adhibendo, ſed potiùs, ut frumentum in campis à Deo nobis datur, nosque id molere & pinſere oportet, ut panis fiat: ſic & hic; Deus creavit nobis hoc æs, quod tantùm recipimus, ejus corpus crudum ac craſſum deſtruimus, nucleum bonum interiorem colligimus, ſuperfluum removemus, & ex veneno medicinam paramus.

Vides ergò te abſque ſolutione nihil præſtiturum, nam cùm Saturninus lapis aquam Mercurialem conſtrinxerit, & in vinculis ſuis rigentem fecerit, neceſſe eſt, ut per calorem modicum in ſeipſâ putreſcat, & in primordialem humorem reſolvatur, quò inviſibilis, incomprehenſibilis tingensque ſpiritus, qui merus ignis auri eſt, in intimis viſceribus congelati ſalis concluſus, & captus, foras vertatur, corporiſque groſſities, per regenerationem ſimiliter ſubtilietur, & cum ſpiritu indiviſibiliter complicetur.

Debito modo ergò lapidem ſolvas,
Et nequaquam ſophiſtico,
Sed potiùs ſecundùm mentem ſapientum,
Nullo corroſivo adhibito;

Nuſ-

Nuſquam enim aqua aliqua eſt,
Quæ ſolvere poſſit lapidem noſtrum,
Præter unicum fonticulum puriſſimum & limpidiſſimum,
Sponte ſcaturientem, qui latex ille eſt,
Ad ſolutionem idoneus,
Sed omnibus fere abſconſus,
Incaleſcens quoque per ſe,
In cauſa eſt, ut lapis ſudet lacbrymas;
Lentus calor externus ei expedit,
Id quod memoriæ probe mandabis.
Adhuc unum tibi aperire libet,
Quod niſi videris fumum nigrum
Inferius, ſuperiusque albedinem exiſtere,
Opus tuum ſiniſtre peractum eſt,
Et lapidem erronee ſolviſti,
Ex hoc ſigno potes ſtatim cernere,
Si vero recte procedis,
Apparet tibi atra nebula,
Quæ fundum ſine mora petet,
Spiritu albedinem aſſumente.

CAPUT IV.

Quomodo ſal noſter in quatuor Elementa dividatur, juxta intellectum Philoſophicum.

QUoniam lapis noſter exteriùs humidus & frigidus, intimus verò ejus calor oleum ſiccum ſeu ſulphur, nec non viva tinctura eſt, cum quo quinta eſſentia naturali modo copulari debet, opus eſt ut has contrarias qualitates ab invicem ſegreges, & in veram concordantiam reducas, id quod omne præſtat noſtra ſeparatio, quæ vocatur in Scalâ Philoſophicâ vaporis aquoſi ſeu liquoroſi ab obſcuris fæcibus ſeparatio ſeu depuratio, raritatis levigatio, partium groſſarum extractio, connectentium diviſio, Principiorum productio, homogeneitatis ſegregatio, & fieri debet in balneis debitis &c. Verùm oportet priùs elementa in ſuo fimo digeras, quia abſque putrefactione ſpiritus à corpore ſeparari nequit, & ipſa ſola eſt quæ ſubtiliat, & volatilitatem conciliat, quando verò ſufficienter digeſtum eſt, ut ſeparari poſſit, ſeparatum eò meliùs clarificatur, & argentum vivum fit ſpecie quaſi clara aqua, divide igitur Lapidem in duas partes diſtinctas quatuor Elementorum, utpote in volatilem & fixam, illud quod eſt volatile, eſt aqua & aer, fixum verò terra & ignis inter quæ duntaxat terra & aqua, non autem

tem ignis & aër cernuntur, & ſunt duæ illæ Mercuriales ſubſtantiæ, ſeu geminus Treviſani Mercurius, inſignitus à Philoſophis in libro Turbæ hiſce nominibus.

1 Volatile.	1 Fixum.
2 Argentumvivũ	2 Sulphur.
3 Superius.	3 Inferius.
4 Aqua.	4 Terra.
5 Mulier.	5 Vir.
6 Regina.	6 Rex.
7 Uxor candida.	7 Servus rubicũdus.
8 Soror.	8 Frater.
9 Beya.	9 Gabricus.
10 Sulphurvolatile	10 Sulphur fixum
11 Vultur.	11 Bufo.
12 Vivum.	12 Mortuum.
13 Aqua vitæ.	13 Nigrũ nigrius nigro.
14 Frigidum humidum.	14 Calidum ſiccum.
15 Anima, ſeu ſpiritus.	15 Corpus.
16 Cauda draconis.	16 Draco ſuã caudam vorans.
17 Cœlum.	17 Terra.
18 Sudor ejus.	18 Cinis.
19 Acetum acerrimum.	19 Æs ſive ſulphur
20 Fumus albus.	20 Fumus niger.
21 Nebulæ nigræ.	21 Corpora earum è quibus exierunt, &c.

In ſuperiori ſpirituali volatili parte vita eſt terræ mortuæ, & inferiori terreâ fixâ portione fermentum nutriens, quod lapidem figit, quæ duo ex una radice ſunt, & ambo in forma aquæ conjungi debent, accipe ergò terram & calcina eam in humido tepente fimo equino, donec albeſcat, & pingvis videatur; iſtud eſt Sulphur non urens, ac per digeſtionem majorem ſulphur rubeum fieri poteſt, ſed album eſſe oportet, priùs quàm rubeat, à nigro enim non datur tranſitus ad rubeum, niſi per medium, ſcilicet albedinem, & ſi albedo in vaſe adeſt, tum procul dubio in ea rubedo abſconſa eſt, ideòque extrahi non debet, ſed tantùm coqui, donec rubeſcat.

Aurum ſapientum non eſt illud vulgare,
Sed aqua quædam clara & pura,
Super qua fertur ſpiritus Domini,
Et unum quodque ens habet inde vitam.
Itaque aurum noſtrum prorſus ſpirituale redditur,
Ducitur per alembicum ſpiritu,
Terra ejus remanet nigra,
Quæ tamen non apparebat antea,
Et nunc ſeipſam reſolvit,
Fitque itidem aqua ſpiſſa,
Deſiderans vitam nobilem,
Ut ſibi reſtituatur,
Præ ſiti enim ea ſe diſſolvit & frangit.
Idque admodum conducit ei.

Quia

Quia niſi fieret aqua & oleum,
Non poſſet etiam ſpiritus & anima
Eidem commiſceri, ut nunc evenit,
Adeò ut unum quid ex eis conſtituatur,
In plenariam perfectionem aſſurgens,
Tàm firmiter colligatum,
Ut nullæ ſeparationi ampliùs detur locus.

CAPUT V.

Paratio Dianæ niveo candore candidæ.

PHILOSOPHI vocant Salem noſtrum, locum Sapientiæ, neque id immeritò, nam totus plenus exiſtit divinarum virtutum & miraculorum, poſſuntque ex eo cuncti colores Mundi evolvi, is autem præcipuè externè albet albedine nivali, internè ſangvineam rubedinem occupans, repletus ſimul ſapore dulciſſimo, vitâ vivificante, necnon tincturâ Cœlicâ; quanquam omnia iſta non ſunt ſalis propria, quippe qui tantummodò dat acredinem, nec non vinculum coagulationis, internus autem calor eſt purus putus eſſentialis ignis, & lumen Naturæ, atque oleum pulchrum pellucidum, tantæ dulcedinis, ut nullum ſaccarum vel mel eam aſſequi valeat, quatenus ab aliis proprietatibus

penitus disjungi poſſit; ſpiritus verò in-
viſibilis in eo habitans, penetrationis
vehementiâ equalis eſt irretardabili
fortiſſimo fulguri, validiſſimè pericen-
ti, ex hiſce ergò conjunctim unitis, ac
in eſſentiam igni incombuſtibilem fixa-
tis Tinctura potentiſſima provenit,
quæ inſtar violentiſſimi fulgetri corpo-
ra in ictu oculi pervadit, & quicquid
puncto vitæ contrarium adinvenit, ex-
templò expellit, iſtâque ratione metal-
la in aurum tranſmutantur, vel tin-
guntur, ſunt enim jam antea aurum,
orta nempe ex ente auri unico, corru-
pta autem leprâ & ægritudine ſeptupli-
ci, derivatâ à maledictione, & irâ di-
vinâ, & niſi jam pridem aurum eſſent,
nunquam etiam Tinctura poſset ea-
dem in aurum tranſmutare, ſicuti &
homo non fit aurum, etiamſi Tinctu-
ram in ſe recipit, illaque omne corpo-
ris ipſius malum exterminat, accuratè
quoque anatomia metallorum dat vi-
dere, illa intrinſeca eſſe ens aureum,
extrinſeca verò circundata morte, &
ex ſecratione. Primo enim poſſident de-
molibilem, craſſam, ac duram quan-
dam materiam, ex maledictâ hâc ter-
ra, puta lapidoſam eorum craſſitiem in
ſua minera, ſecundò lethalem fœtidam
aquam; & tertiò in aqua iſta nonnul-
lam mortificatam terram; necnon quar-
tò interemptoriam, furibundam, vene-
noſam qualitatem, ſegregata itaq; à cun-
ctis

ctis metallis maledicta heterogeneitate iſtâ; invenitur etiam nobile ens aureum noſter videlicet benedictus ſal, quem philoſophi commendarunt nobis his verbis: Educ ſalem ex metallis ſine corroſione & violentiâ, dabitque tibi album & rubeum. Item, omne ſecretum conſiſtit in ſale, ex quo conſtat perfectum Elixir noſtrum. Quam occulta autem ſit ratio ejuſmodi inſtituendi, & obtinendi, inde palàm eſt, quòd in hunc uſque diem nondum Mundo hæc ſcientia penitus innotuit, atque hâc ipſa hora adhuc ne milleſimus quidem ſcit, quid ſentire debeat de mirabili ſophorum prædicatione, de una eademque re unica, quæ non eſt niſi aurum naturale genuinum, & tamen viliſſimum, ac in via projectum adinvenibile: precium precioſum, percarumque, & tamen ſtercus: ignis omni igni fortiùs urens, & tamen frigidus; aqua puriſſimè lavans, & tamen ſicca: malleus chalybeus, in impalpabiles atomos concutiens, & tamen inſtar aquæ mollis: flamma extremè incinerans, & tamen humida: nix nivalis, & tamen coctilis, ac totaliter inſpiſſabilis; avis in cacuminibus montium volitans, & tamen piſcis; virgo intemerata & tamen pariens, lacteque abundans: radii Solis, & Lunæ, necnon ignis ſulphuris, & tamen glacies rigens: arbor combuſta, & tamen inter comburendum florens,

&

& immenſam fructuum copiam ferens: mater pariens, & tamen non niſi vir exiſtens, & viceverſa: metallum ponderoſum, & tamen pluma, ſeu alumen plumoſum: pluma quoque à vento portata, & ta men metallis gravior: venenum ipſo baſiliſco lethalius, & tamen omnes morbos expellens, &c. hæc & ſimilia contradictoria, noſtri tamen lapidis propria nomina, ignorantes prorſus excæcant, ut innumeri ejus veritatem planè negent, licet aliàs omnem Mundi ingenioſitatem ſibi tribuant, plus credentes unico Ariſtoteli, quàm innumerabili turbę graviſſimorum Authorum, qui per multa ſecula talia verificarunt & deſcripſerunt, dicentes, ſe de verbis ſuis, hac de veritate factis, coràm extremo judicio rationem reddituros, ſed hoc nihil juvat, poſſeſſores cognitionis ſemper contemnuntur, & hoc non ſine gravi Dei judicio, qui quò meliùs donum in aliquod vaſculum imponit, eò ſtultiùs jubet id in ſua ſpecie videri, ut eò citiùs ab indignis in ſuam propriam perniciem ſpernatur, & rejiciatur, filii verò prudentiæ ſecretum hunc divinæ ordinationis modum cum timore obſervant, perpendentes, ritum parabolicum Scripturæ tùm ſacroſanctæ, tùm omnium aliorum ſapientum, longè aliud indicare, quàm litera mortua præ ſe fert, ideoque juxta mandatum Pſalmi primi, die ac nocte in ea me-

di-

ditantur, animoque anxio margaritam indagant, donec prece & labore inveniant, ſi enim Lapidem hunc miraculoſum terreſtrem Deus omnibus malis hominibus tàm evidenter denegat, eò quòd ſaltem parva pictura eſt illius ſanctiſſimi cœleſtis Lapidis angularis, quidnam cenſes de authentico ipſo habendo, quem adorant omnes angeli & archangeli cum tamen abſque ulla difficultate quivis regeneratus eum ſibi pro certo promittat, ſi ſaltem ſcoriam fidei ore garriat, nulloque modo contendat, ut per anguſtiſſimam portam in Cœlorum Regnum, ſequutus omnes ſanctos veteris & novi teſtamenti, ingrediatur; nos autem fundamentaliter ſcimus, quod tota Theologia & Philoſophia abſque oleo incombuſtibili vana ſit, ſicut enim quinque imperfecta metalla in examine ignis intereunt, niſi oleum incombuſtibile (ut Philoſophi Lapidem nominant) ea tingat, & ad perfectionem perducat: Ita quoque quinque illæ ſtolidæ virgines, oleum verum in lampadibus non habentes, adveniente Rege ſponſo peribunt; Rex enim (ut *Matth.* 25. 41. 42. 43 legitur) iſtos, qui carent oleo charitatis ſeu miſericordiæ, ad ſiniſtram ſuam ſiſtet, iiſque dicet, abite maledicti à me in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus, eſurivi enim & non dediſtis mihi quô veſcerer, ſitivi, & non de-

dediſtis mihi potum, hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non amiciviſtis me: ægrotus & in carcere, & non viſiſtis me. E contra verò quemadmodum ii, qui intelligere mirabilia Dei indefeſsè ſtudent, & à patre luminum illuminationem ardenter petunt, accipiunt tandem ſpiritum Sophiæ Divinæ, qui ducit eos in omnem veritatem, ac per fidem vivificam unit cum victore illo Leone ex tribu Judæ, qui ſolus ſolvit & aperit librum regenerationis ſeptem ſigillis obſignatum in unoquoque fideli homine, adeò ut naſcatur in eo ille agnus, qui à principio mactatus eſt, quique ſolus eſt Dominus Dominorum, ſuaque humilitatis & manſuetudinis cruce veterem Adamum ad mortem cruciat, & novum hominem, ex ſemine verbi Dei regenerat. Sic ejuſmodi typus quoque in philoſophico regenerationis opere conſpicitur, ubi ſolus Leo viridis ſeptem inſolubilia ſigilla ſeptem ſpirituum metallicorum claudit & aperit, & corpora ad perfectionem cruciat, mediante longanimi & miti patientia artificis, talis enim ſimiliter agnus eſt, cui & non alii ſeptem ſigilla naturæ aperientur. O filii lucis, qui in virtute agni Dei vincitis, omnia quæ Deus unquam creavit, erunt ad veſtrã felicitatem temporalem & æternam, ut talis promiſſio ex vivo ore Domini noſtri Jeſu Chriſti, bis octies continua-

tim

tim facta eſt, *Matth.* 5. *Apoc.* 2. & 21 his verbis.

1. (*Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.*
(*Victori dabo edere ex arbore illâ vitæ, quæ eſt in medio paradiſi Dei.*

2. (*Beati qui lugent, quoniam ipſi ſolamen recipient.*
(*Qui vicerit, nequaquam lædetur à morte ſecundâ.*

3. (*Beati qui ſunt mites, quoniam ipſi hæreditario jure terram obtinebunt.*
(*Qui vicerit, tribuam ut edat ex manna illo occulto, & dabo illi calculum album, & in calculo novum nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi qui accipit.*

4. (*Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*
(*Si quis vicerit & obſervaverit ad finem uſque opera mea, dabo ei poteſtatem in gentes, & reget eas virgâ ferreâ, & tanquam vaſa fictilia conterentur, ſicut & ego accepi à patre meo, & dabo ei ſtellam matutinam.*

(*Beati qui ſunt miſericordes, quoniam ipſis miſericordia tribuetur.*

C *Qui*

5. (*Qui vicerit, amicietur veſtimentis al-*
(*bis, neque unquam delebo nomen*
(*ejus ex libro vitæ, ſed agnoſcam*
(*nomen ejus in conſpectu Patris*
(*mei, & in conſpectu angelorum*
(*ejus.*

(*Beati qui ſunt mundo corde, quoniam*
(*ipſi Deum videbunt.*
(*Qui vicerit, faciam ut is ſit columna*
6. (*in templo Dei mei: nec foras egre-*
(*dietur amplius, & inſcribam ei*
(*nomen Dei mei, & nomen civitа-*
(*tis Dei mei novæ Hieruſalem, quæ*
(*deſcendit à Cœlo à Deo meo, &*
(*nomen meum novum.*

(*Beati qui ſunt pacifici, quoniam filii*
(*Dei vocabuntur.*
(*Qui vicerit tribuam ei ut ſedeat me-*
7. (*cum in throno meo, ut & ego vici,*
(*& ſedeo cum patre meo in throno*
) *ejus.*

(*Beati quos perſequuntur juſtitiæ cau-*
(*ſâ, quoniam ipſorum eſt Regnum*
8. (*Cœlorum.*
(*Victor hæreditario jure obtinebit omnia,*
(*& ero ei Deus, & ipſe erit mihi*
(*filius.*

Aſſumamus itaque, ô fratres, per gratiam noſtri miſeratoris, animam laborioſam, ad certandum bonum certamen, nemo enim coronabitur, niſi

qui

qui legitimè certavit; ſicut etiam Deus ſua hæc dona temporalia ſudore ſaltem & labore vendit, teſtibus Philoſophis & Hermete, ſe ad acquirendam benedictam Dianam, Lunariamque Lacteam animæ ſuæ à laboribus parcere non potuiſſe, uti quoque quilibet conjicere poteſt. Quum enim Sal noſter ſit initio terreum ſubjectum grave, nec non aſperum, impurum, chaoticum, glutineum, limoſum, & nubiloaquoſum corpus, neceſse eſt ut diſsolvatur, & à ſua impuritate omnibuſque terreſtribus, aquoſis, venenatis accidentibus, ac denſâ umbrâ ſeparetur, purificetur, atque extremè ſublimetur, quò ſal metallorum cryſtallinus, repurgatuſque ad omni fæculentiâ nigredine, & purulentiâ, puriſſimus, & ſummè clarificatus, inſtar nivis candidus, & tanquam cera fluens, & liqueſcens habeatur.

Sal ſola & unica clavis eſt:
Sine quo ſale nequaquam ars noſtra vera
eſſe poterit.
Quanquam hic ſal (ut certiorem te faciam)
Apparentiam ſalis initialiter non habet,
Nihilominus eſt ſal, & procul dubio
Sub primâ inceptione prorſus niger ac fœtidus,
In progreſſu laboris non minus quoque
Coagulum cruoris æmulabitur,
Tandemque omninò albeſcet & clarecet,
Se ipſum ſolvendo & coagulando.

CA-

CAPUT VI.

De matrimonio ſervi rubicundi cum fœmina alba.

MUlti ſunt, qui notitiam habere confectionis Philoſophicæ Tincturæ ſibi videntur. Aſt ſervo rubro noſtro eos examinante, vix credi poteſt paucitas, & perexiguus numerus, examen tale tolerantium: ubi enim eſt ejuſmodi liber, dans de hac re ſufficientem inſtructionem? cùm Philoſophi illud taceant, & occultum velint, ſicuti etiam dilectus parens noſter, revelationis loco inquiſitoribus reliquit tantum pauca hæc verba: *Una res ſola, mixta aquâ Philoſophicâ*, nec eſt dubium, quin non parum id laboris quibuſdam philoſophis cauſaverit, antequam ſyrtim hanc prænavigarint, ſub primâ liminis operis ſalutatione; cujus rei exemplum conſiderabile Auctoris Apertæ arcæ, vulgò Ruricolæ majoris & minoris diſcipulus (qui hujus in Deo requieſcentis præceptoris ſui digniſſimi propria manuſcripta poſſidet, totamque artem philoſophicam per triginta nunc annos perfectè ſcivit) nobis retulit, narravitque, quid acciderit huic præceptori ſuo in hoc paſſu: Cum enim primâ vice huc apulit, duo illa ſulphura coire & commiſceri nullo modo voluerunt, ſed ſemper Sol ſuper Lunam nata-

tavit, quod ipſi magnam lamentationem, & tædioſa de novo itinere, ad reſciſcendum hoc punctum ab aliquo fortè poſſeſſore Lapidis creavit, ut etiam poſtea ex voto obtinuit cujus tamẽ Philoſophi experientiam nemo adhuc ſuperavit, ſiquidem propinquiſſimam artis viam, triginta nempe diebus perficiendi Lapidem ipſe calcavit, quum êcontra aliis philoſophis primo ſeptem, poſtea decem continuis menſibus coquendum fuit, id quod denotamus illis qui imaginatione & perſuaſione ſuâ, ſe ipſos credunt philoſophos, veruntamen debitam manualem operationem nondum attentarunt, ut rationem ineant, an quid ſibi deſit, nam ante hunc tranſitum non rarò præſumptione occupati artiſtæ, Dedalæas deponere alas coguntur. Quinimò inveniuntur quidam vel etiã ex numero eorum, qui Doctores aliique permagnæ eruditionis viri ſunt, qui planiſſimè perſuaſum ſibi habent, noſtrum digeſtum ſervum rubrum debere educi non aliunde niſi ex caro auro vulgi, per aquam Mercurialem, quem errorem experientiſſimus Auctor antiqui duelli Chemici dudum monſtravit, dum in perſonâ Lapidis profert hæc verba: *Aliqui tam procul mecum pervenerunt ut tingentem meum ſpiritum extrahere ſciverint, miſcentes eum aliis metallis ac mineralibus, multiſque laboribus eo redigentes, ut non nihil mearum*

virtutum ac virium emiſerim in metalla mihi propinquiora, & cognatiora: ſin verò artifices meæ uxoris propriæ curam habuiſſent, meque cum eâ conjunxiſſent, milleſies plus tingere valuiſſem &c.

Verum enim verò cojunctionem noſtram quod attinet, eſt duplex conjungendi ratio, a'tera humida, ſiccaque altera habente Sole ſuæ aquæ tres, ejuſque uxore novem partes, vel etiam 2. ad 7. & ſicut ſperma virile ſimul, & unâ vice matrici immititur, eaque poſtea in momento clauditur uſque ad enixionem & partum fructus: Ita etiam res ſe habet in noſtro opere, in quo conjungimus duas aquas, ſulphur auri, nec non ejus Mercurii, animam & corpus, ſolem & lunam, virum & fæminam, duo ſemina, duo argenta viva, ex his fit vivus Mercurius, ex eoque Lapis Philoſophorum.

Poſteaquàm rectè præparata eſt terra,
Ad imbibendam ſuam humiditatem,
Tunc ſumas ſimul ſpiritū animā vitamque
Adducaſque in hanc teram:
Quid eſt enim terra abſque ſemine?
Corpuſque deſtitutum animâ?
Animadvertes igitur atque obſervabis,
Mercurius reducitur,
In matrem ſuam, ex qua venit,
Projice in eandem ipſū, & erit tibi commodo:
Solvet ſemen terram,
Et terra ſemen coagulavit.

CA-

CAPUT VII.

De gradibus ignis.

IN concoctione Salis noſtri calor externus primæ operationis dicitur elixatio, & fit in humido, tepiditas verò ſecundæ operationis peragitur in ſicco, ac nominatur aſſatio, quem duplicem ignem philoſophi ſic nobis inculcant: *Nos oportet Lapidem elixare & aſſare.* Illud benedictum opus noſtrum ſecundum conſtitutionem quatuor partium anni gaudet dirigi, utpote prima pars hyemis gelida eſt & humida; Secũda veris tepet & humida eſt. Tertia pertinet ad percalidam, ac ſicceſcentem æſtatem, quarta ad autumnum frugum collectioni dicatum. Primum ignis regimen conſimile debet eſſe calori gallinæ ovis incubantis, ad excludendos pullos, vel ſtomachi cibum coquentis, & corpus nutrientis; vel tepentis fimi, vel Solis in ariete exiſtentis, qui tepor durat uſque ad nigredinem, atque etiam, donec immutetur in albedinem, quod ſi tale regimen non obſervaretur, materiaque nimium incaleſceret, tunc non obtineretur exoptatum corvi caput, ſed afferet id potius ejus loco ſubitaneum, ac cito præterfugientem ruborem, papaveri ſylveſtri infeliciter ſimilem, vel etiam ſuperius natans rufum oleum,

aut quoque quod materia inciperit ſublimari (quibus contingentibus neceſſe foret, iterum compoſitum excipere, ſolvere, & cum noſtro lacte virginis imbibere, ac poſtea coctioni denuò, & cum attentiori cautelâ incumbere, tantiſper dum ejuſmodi defectus non amplius conſpicerentur) apparente pòſt albedine augendus eſt ignis, uſque ad plenariam lapidis exſicationem, qui gradus ſolis calori ex tauro ad geminos tranſeuntis aſſimilatur, cum verò lapis exſiccatus eſt, adhuc ignis cautè fortificatur, uſque ad perfectam ejus rubedinem, qui calor ſimilis eſt ſolis in Leone commorantis.

Maximè attentus eſto monitis,
Deſtruendo leni igne prolatis,
Et cuncta proſpera ſic tibi polliceri poteris,
Ac particeps fieri aliquãdo hujus theſauri.
Ignem vaporoſum jam antea,
Secundum intentinem Sapientum, intelliges,
Quod iſte non ſit Elementalis,
Vel materialis & ſimilia,
Sed potius aqua ſicca ex Mercurio:
Iſte ignis ſupernaturalis eſt,
Eſſentialis, cœleſtis ac purus,
In quo Sol & Luna ſunt conjunctim;
Rege hunc externi ignis moderamine,
Et perduc opus noſtrum ad finem.

CA-

CAPUT VIII.

De miraculoſâ noſtri Salino-aquarii Lapidis efficaciâ.

QUicunque à patre luminum hanc gratioſam indulgentiam adeptus eſt, ut ſibi in hac vita illud ſupra omnem precioſitatem precioſum cimelium, Sapientum Lapis conferatur, ille non ſolum certus eſſe poteſt, ſe tantum habere theſaurum, ut totus terrarum orbis, cum cunctis ejus Principibus circumcircà habitantibus eundem perſolvere nequeat, ſed etiam evidentiſſimum amoris Divini erga ſe ſignum habet, & fidejuſſionem, ſe abhinc Sapientiam Dei, cujus donum hoc eſt, ſponſam habiturum, cumque ipſa æternùm conjugalem permanſurum, quam unionem cœleſtis matrimonii, unicuique Chriſtiano medullitùs precamur, quoniam eſt centrûm omnium theſaurorum, quod etiam Rēx Salomon teſtatur, *Sap.* 7. inquiens: Anteposui Sapientiam Regno & Principatui, nihilque æſtimavi cunctas divitias comparandas cum illa, non aſſimilavi eidem ullum lapidem precioſum, nam omne aurum vilis arena eſt præ ipſa, argentumque illi æquiparatum non niſi lutum, dilexi eam ſupra ſanitatem & pulchritudinem corporis, & elegi mihi in lucem, radii

enim ejus non extinguuntur, advenerunt autem mihi ſimul cum eâ cuncta bona, & innumerabiles divitiæ in manu ipſius &c.

Quid autem attinet Lapidem hunc noſtrum, primo ſacroſanctus Deus trinus & unus, ipſiuſque opera creationis, redemptionis, & regenerationis, nec non futuræ beatitatis glorioſæ ſtatus ex ipſo elucent.

Secundò expellit & ſanat omnes ęgritudines, qualeſcunque ſint, uſque ad ordinatum vitæ terminum, ubi ſpiritus, ceu extincta lucerna, placidè emigrat, ac pertranſit in manum Dei.

Tertiò tingit & tranſmutat omnia metalla in argentum & aurum, meliora, quàm Natura producere ſoleat, per eum etiam ignobiles lapides, ac quælibet vilis cryſtallus in nobiliſſimas gemmas tranſtingi poſſunt. At cùm metallis in aurum transformandis adhiberi menſeſt, oportet prius auro optimo & repurgatiſſimo fermentari, aliàs enim nimiam & ſupremam ejus ſubtilitatem metalla imperfecta ferre nequeunt, ſed potius in projectione damnum foret, ac detrimentum, inſuper quoque impura metalla purganda veniunt, ſi utilitas inde expectari debeat. Addendi autem fermenti aurei ad rubrum, vel argenti ad album vel una drachma ſufficit, nct opus eſt de his curare aurumque argenumque ad fermentationem emere,

ſed

ſed tantillâ additione adhibitâ poteſt im poſterum magis ac magis tingi, in tam longum, ut vel integræ naves pretioſo metallo hinc confecto valeant onerari. Si enim iſta medicina etiam per multiplicationem ducitur, atque aquâ ſui albi vel rubri Mercurii, ex quâ ipſa præparata eſt, iterum diſſolvitur & coagulatur, tunc ejus tingendi vis ſingulis vicibus decies major evadit, idque quoties repetere lubet, licebit.

ROSARIUS.

Qui hanc artem ſemel perfecerit, ſi poſtea vivere deberet mille millibus annis, & ſingulis diebus nutrire 4000. hominum, tamen non egeret.

Aurora Conſurgens.

Hæc eſt Sapientum Filia, & data eſt in manu ejus poteſtas, honor, virtus & imperium, & florens Regni corona in capite ejus, radiis ſeptem ſtellarum rutilantium, tanquam ſponſa ornata viro ſuo, habens in veſtimentis ſuis ſcriptum literis aureis Græcis, Barbaris, ac Latinis; Ego ſum unica filia Sapientum, ſtultis penitus incognita. O felix ergò cum ſciente ſcientia, nam qui illam habet, incomparabilem theſaurum poſſidet, coram Deo ditatus, & homi-

nibus honoratus, quia non per uſuram, & fraudem, nec falſis mercimoniis, neque per oppreſſionem pauperum, ut jam divites mundi ditari geſtiunt, ſed per induſtriam, & manum laborem dives eſt.

Itaque non immeritò philoſophi ſequentibus duobus ſuis ænigmatibus concludunt, de albâ & rubrâ Tinctura, ſive Urim & Thumim noſtris inteligendis.

LUNA.

Hic nata eſt diva Imperatrix Auguſta,
Magiſtri nominant eam ſuam filiam, omnes unanimi conſenſu,
Multiplicat ſe, & parit innumerabilem ſobolem;
Puritate, immortalitate, & ſine omni labe exiſtentem.
Regina hæc odit mortem, & miſeriam,
Antecellitq; aurum, argentum, ac gemmas nobiles,
Atque inſuper omnia medicamenta, magna & parva,
Nil in tota terra eidem eſt aſſimilabile,
Pro quibus gratiarum actio ſit Numini in Cælis ſanctis.

SOL.

Hic exortus eſt omnium honorum Imperator,
Excelſior ipſo nunquam naſci poteſt,

Per

Per ullam artem, neq; per ipſam Naturã,
Inter omnes creatas creaturas.
A Philoſophis vocatur ſuus filius,
Valens ac potens effectum dare,
Quicquid à ſe homo poſtulat,
Impertit ſanitatē in fortis perſeverãtiã,
Aurum, argentum, ac lapides pretioſos,
Fortitudinem, juventutem pulcram &
ſinceram;
Conſumit iram, mœrorem, inopiam, omnemque languorem,
O ter felix qui à Deo tale impetrat.

RECAPITULATIO.

Tu mi homo inquirens, chare frater ac filiole, euge ab initio repetamus, ea quę maxime tibi ſunt neceſsaria, ſi peroptato ſucceſsu adjutum promotumq; vis tuum ſcrutinium.

Primò ac ante omnia debes firmiſſimè memoriæ ac recordationi tuæ infigere, te abſque Jehovæ miſeratione eſſe calamitoſiſſimum, imò diabolo ipſo, cui omnes damnatos ſubjacebunt, miſeriorem, quoniam immortali animâ præditus, in omnem velis nolis æternitatem victurus es, vel apud filium Dei inter ſanctos, in beatitudine ineffabili, vel apud Dei inimicum Sathanam, inter maledictos in cruciatu inenarrabili; Quare revereberis Jehovam ex toto corde, ut te æternum ſalvificet, ambulabiſque ex omnibus viribus in ejus præceptis, ut ſint

tibi pietatis norma & regula, ſicut Salvator præcepit: *Quærite primùm regnum Dei, & cætera vobis adjicientur*. Imitaberis in hoc ſapientes præambulatores noſtros, & obſervabis, quâ methodo illi apud terribilem hunc Dominum (ante quem ſtantium millia millena, & ſervientium myriades myriadum vidit Daniel Propheta) fuerint in gratiâ, quemadmodum ſapientiſſimus ille Salomon ſuam viam, quâ uſus fuit, ad veram Sapientiam impetrandam, nobis fideliter indicavit, hâc doctrina extremè bonâ, atque omninò imitabili. Fui (inquit) infans bonæ qualitatis, & dum bene educatus fui, adolevi in vitam immaculatam & inculpatam, poſt. quam verò cognovi, me minimè omnium ac nullâ ratione poſſe virtuoſum eſſe, niſi Deus idipſum mihi daret, (& etiam hoc erat prudentia, animadvertere cujus ſit talis gratia) tunc acceſſi Jehovam, & eum ex toto corde ſic oravi: O Deus majorum meorum, Domine omnis miſericordiæ, qui feciſti verbo tuo omnia, ac Sapientiâ tuâ hominem conſtituiſti, ut dominetur creaturis à te factis, ut regat Orbem in juſtitiâ, nec non juſtâ mente judicet: Da mihi obſecro Sapientiam, quæ indeſinenter eſt in circuitu throni tui nec me rejicias ex filiis tuis, ſum enim tuus ſervus, filius ancillæ tuæ, homo infirmus brevis vitæ, ac nimis valdè incapax juſti &c.

Hoc

Hoc modo etiam tu Jehovæ placebis, ſic modo illud tua cura primaria; poſt illam licitum eſt & convenit quoque cogitare de honeſtâ corporis ſuſtentatione in hac vitâ, ut non ſolum ſine damno proximi vivas, ſed etiam egenis pro re natâ adjumento ſis, quod commodisſimè dat ars Philoſophorum, cuicunque Deus eam ceu ſuum ſingulare donum elargitur, quod tamen non ſolet, niſi petitoris ardentibus precibus ac vitæ ſanctimonia commotus, nec vult etiam hanc artem immediate cuiquam concedere ſed ordinatis mediis nempe, doctrina, & manum, labore, quibus benedicit ſeriò invocatus, non rogatus reſiſtit, vel rebus cœptis impeditis, vel malo eventu coronatis.

Porrò ad acquirendam doctrinam ſtudendum, legendum, ac meditandum tibi eſt, ut via Naturæ cognoſcatur, quam ars ſequi neceſſe habet, ſtudium & lectio conſiſtit in bonis & veracibus Auctoribus, qui reipsâ veritatem hujus ſcientiæ experti ſunt, & poſteris tradiderunt, quibus ſecurè credendum eſt in ſuâ arte, fuerunt enim conſcientioſi, & à mendaciis alieni, quamvis ob multas cauſas obſcurè ſcripſerint. Tu autem debes eorum obſcuritatem conferre cum Naturæ operatione, quo ſemine utatur ad unamquamque rem progignendam, exempli gratia: hæc illa arbor non fit ex unaquaque re, ſed ex ſemi-

mi-

mine vel radice ſui generis. Sic enim de philoſophicâ re intelligendum, quæ itidem certam habet determinationem, ipſa enim nil in aurum, & argentum tingit, quàm genus Mercuriale Metallicum, & congregat illum in maſſam malleabilem, in igne permanentem, colore ſummæ perfectionis coloratam, cætera omnia ejuſdem naturæ non exiſtentia defæcat & ſeparat, à metallo, inter tingendum: ſequitur ergo, tincturam eſſe ſimiliter ex genere Mercuriali metallico, ad perfectionem auream deſtinato, ejuſque originem, radicem & virtutem ſeminariam inde eſſe petendam, unde vulgaria corpora metallica ſub malleo extenſibilia deſumuntur: hic clarè tibi deſcribo ſubiectum artis, quod ſi nondum capis, ſtrenuè ſtudeas lectioni, quia omnia tandem familiaria redduntur. Poſt fundamentum firmum ac validum ex virorum genuinorumq; lapidis poſſeſſorum doctrinâ jactum, accedendum eſt ad manualem laborem, & debitam tractationem materiæ, quæ requirit, ut ſuperflua fæculentia removeatur, per noſtram ſublimationem, & acquiratur eſſentialitas cryſtallina, ſalina, aquina, ſpirituoſa, oleaginea, quæ ad æqualem temperamentum humidi & ſicci, ſeu volatilis & fixi abſque ullâ deperditionea virtutis ſeminalis generativæ & multiplicativę homogenicè deducatur,

ac ſecundum naturalem progreſſum, ad abſolutam perfectionem arte noſtrâ promoveatur, ut fiat Medicina fixiſſima, & in omni humore (ut & in facili quovis calore) ſolubilis, & potabilis, ſed non vaporabilis, ut ſolent medicamenta vulgaria, quæ ſemper carent præcipuâ vi medendi, nam impota vel à calore elevantur, vel non: ſi elevantur, ſunt fortè deſtillatæ ſubtiles aquæ ſeu ſpiritus, tam fugaces & elevabiles, ut à calore corporis, quem fremebundè augent, confeſtim ſublimentur, ac ſurſum ferantur, aſcendentes in caput, ibique exitum quærentes, (ut ſpiritus vini aſſolet apud ebrios) ac denegatâ per concluſum cranium evaporatione, nituntur impetuosè erumpere, non aliter, ac in artificioſâ deſtillatione fieri conſuevit, ubi interdum validi ſpiritus vas recipiens frangunt. Si verò medicamenta vulgi non ſunt elevabilia, ſunt forſan ſalia fortiſſimo igne omni ſucco vitæ orbata, & parum mederi poſsunt valetudini languidæ: nam ſicut lampas ardens, nutritur oleo & pinguedine, quâ conſumptâ extinguitur, ſic etiam vitale ellychnium ſuſtentatur ſucculento, & oleoſo vitæ balſamo, & emungitur præſtantiſſimorum medicamentorum emunctorio, ſit communis candela emungi in uſu habet, & quoniam noſtra Medicina certiſſimè ex Sole, atque omninò è radiis ſolis

confecta, poteſt conjicere, quid valeat præ omnibus aliis medicamentis, cum ſolus Sol vitam in tota Natura accendat, & conſervet, abſque ſole enim omnia in hoc Mundo rigerent & nil creſceret, à Solis radiis verò cuncta vireſcunt, & creſcunt, & Sol omnibus ſublunaribus infundit vitam, virorem, vegetabilitatem motionem, & augmentum, idque fit ex Solis vivificante irradiatione. Verum enimverò iſta vis ſolis milleſies millies fortior, efficacior & ſalutarior eſt in ſuo genuino filio, ſcilicet ſubjecto philoſophorum, ubi enim ille generatus eſt, ibi prius per multa ſecula radii Solis, Lunæ, aſtrorum, & omnium virtutum Naturæ in illum locum magneticum convaporarunt, & quaſi in unum concluſiſſimũ vas conjecti ſunt, qui ab omni exitu prohibiti, repreſſi, & coanguſtati, ſe in hoc mirabile ſubjectum efformarunt, atq; etiam ex ſe aurum vulgi progenerarunt, quod ſatis indicat ſuam ſibi virtuoſiſſimam originem, dum ſuper omnem omnino ignis violentiam triumphat, ut nihil perfectione ſimile poſt noſtrum ſubjectum in toto Mundo reperiatur, & ſi inveniretur in ultimo ſtatu ſuo à Natura inſtar ceræ vel butyri factum fuſibile, ejuſque rubedine ac diaphanitate foris ſtante, eſſet reverâ noſter benedictus lapis, quod non eſt, deducitur autem ex primo ſuo aſtro ad tantam pluſ-
quam

quam perfectionem, per artem ſummam Philoſophicam, à multis Philoſophis fundamentaliter traditam, imprimis autem in ſequentibus libris.

CATALOGUS AUCTORUM
clariorum, ac proinde lectu utiliſſimorum.

Roſarium Philoſophorum in Secundâ Parte libri Turbæ Phil.

Aliud Roſarium Arnoldi, conſtans duobus voluminibus, item ejuſdem novum lumen, flos florum, & epiſtola ad Regem Neap. ibid.

Opera mineralia M Joannis Iſaci Hollandi, duobus volum. ſeorſim & etiam in tertio volum. Theat. Chym.

Clangor Buccinæ, in prim. part. Turbæ.

Scripta Baſilii Valentini, imprimis ultimum teſtam.

Liber Moriani Romani de tranſm.met. in 2. vol. Tur.

Calidis filij Jazichi liber ſecretorum, in 1. Tur.

Correctorium Richardi Angl. ibid. & in 2. Theatri.

Scala Philoſophorum ⎫ *in ſecunda par. Tur.*
Ludus puerorum ⎭

Teſtamentum Raimundi Lullij Majoricani duabus partibus, ſeorſim, & in 4. vol. Theatr.

Ber-

Bernhardi Comitis Treviſani libet Alchimiæ in 1. vol. Theat.

Ejus egregia Epiſtola ad Thomam Bon. in 2. Turb.

Dionyſij Zacharij Galli opuſculum excellentiſs. in primo Theatri.

Conſilim Conjugij ſeu de maſſa Solis, & Lunæ, ſeorſim & etiam in 5. Theat.

Margarita pretioſa novella M. Petri Boni Lambardi Ferrarienſis ſeorſim & in 5. Theat.

Libellus præſtantiſſimus ſpeculi Alchymiæ Rogeri Baconis in 2. Theatri, & in collect. Gratar. extans.

Perfectum magiſterium Ariſtotelis Arabis, vel ut alij credunt Rhaſis, ibid.

Marſilij Ficini ſcripta, quæ ſatis magnifica ſunt, ſed ſaltem unus ejus libellus egregius de arte Chymica, ſine nomine Auctoris extat, latent verò ipſius Myſterium aurei velleris, & Apocalypſis Solis & Lunæ Hermetis, ambo à Ficino ad Coſmum de Medicis delata ac dedicata, quæ cum ſimilibus totum theſaurum Philoſophiæ comprehendentibus ſcriptis, utpote opera vegetabilia & animalia, &c. Hollandi, & aliorum auctorum nimis clara opera ab invidis gryphibus adhuc detinentur, ſicut etiam propria manuſcripta Auctoris Apertæ Arcæ arcani artificioſiſſimi, nomine Joannis Graſsæi ſeu Chortalaſſæi J. U. Doctoris, & quondam Syndici Stralſundiæ, poſtea Reverendiſſimi

Ele-

Electoris Erneſti Archiepiſcopi Colonienſis Conſiliarii, hoc tempore in Livonia, in certo mihi noto loco ſunt, & tàm apertè artem continent, ut quivis ſutor vel ſartor ſummo arcana Philoſophorum ex eiſdem noviſse poſset, ſi ſaltem Latinum ſermonem ſciret.

Chryſopœia Johannis Aurelii Augurelli, tribus partibus, quæ in tertio Theat. item apud Gratar. nec non aliis libris annexa habetur.

Paracelſi Tinctura Phyſicorum, liber vexationum, Apocalypſis Hermetis, manuale, &c.

Opera Riplei à Combachio edita.

Hermetis Triſmegiſti ſeptem Capitula ab anon. Gallo illuſtrata.

Aquarium Sapientum Iohannis Sibmacheri, civis Noribergenſis, Tabula paradiſi ſeu Gloria Mundi & cætera, quæ extant in Muſeo Herm.

Hi libri, & tractatus omnes ſunt authentici, aperti, & fructuoſi, atque optimè explicant Tabulam Hermetis Smaragdinam.

Sunt adhuc alii innumeri, qui tamen incipientibus non primâ fronte conſulendi, ſed circulatio Naturæ, & generatio metallorum priùs ſedulò rimanda, quam nemo unquam in ullius Philoſophi ſcripto inveniet luculentiorem & intellectui apprehenſibiliorem, quàm in novo lumine Sendivogiano, quod verè eſt clavis artis Solis, & pons

tutiſſimus trans vaſtum mare ponticum argentinum, cujus lectio frequens tibi facilè recludet omnes prænarratos Auctores, nec poſtea te latere poterunt etiam multò abſtruſiores, è quorum numerõ Rex Geber ſuas lectiones adeò mirificè dipartitus eſt, ut, ſeipſo fatente, unus idemque ſententiarum ſtylus, & ſermonis eloquium prudentes latere non contingat, mediocribus autem profundiſſimum ſit, fatuos verò miſerabiliter excludat, ſic etiam dictiones Avicennæ, interlocutiones congregationis Pythagoricæ, ſeu Codex omnis veritatis, multa opuſcula Lullii,&c. ferè inexplicabilis involucri ſunt, & planè tædioſa lectoribus, ut ſibi contigiſſe ſuſpicandum præbet deſcriptor Angliæ, dum in deſcriptione Comitatu Caermardenſis de notiſſima illa Chemica merula Merlinica in hæc verba prorumpit: Hic in urbe Mariduno ſive Caermarden, natus eſt Merlinus Britannorum Tages, ut enim ille Genii filius Auruſpicinam ſuis Hetruſcis, ita hic incubi filius vaticinia, imò mera Oreſtis ſomnia, noſtris Britannis effinxit, unde in hac inſula apud credulam & imperitam plebeculam vates celeberrimus audit.

Hæc verò ſufficiant de legendis ſelectioribus Authoribus, ex quibus nunc etiam præcipuam medullam & nucleum doctrinæ philoſophicæ enuclea-

bi-

bimus, & huc annectemus, excerpendo realium poſſeſſorum hujus divini ſecreti præſcriptas ſententias, & concordantias diſcipulo valdè utiles, habeat enim pro certo ſibi perſuaſum, quò ſæpiùs tales perlegendo ruminatus fuerit, eo magis magiſque ſe redditum iri oculatiorem, quod etiam Aurelius Augurellus urget, lib. 1. Chryſop. inquiens:

——————— credite dictis
------ ut non tantùm ſub montibus aurum
Natura efficiat, ſed ut id quoque prodeat arte,
Quæ contra ſoleant dici ——
——grauium ſententia priſca virorum
Delebit, referens ea quæ videre parentes
Ipſi oculis, manibusque ſimul tetigere beati.

Et Morienus ad Regem Calid.

Omnis res, uſque dum per ſuumm effectum dignoſcatur, multorum teſtimonio verum eſſe comprobatur.

Cavete verò fratres à libris ſophiſtarum, & imprimis moderni J. R. G. cujus nomen, non ſine omine, hoc anagramma præbet; *Vab longus verbo, ſed*

iln

nil ſupra; itaque facite eum, cum ſuis
conſortibus, miſſum, fideliter moneo,
ne vos poſtea ſerò pœniteat, paſſim
enim querelæ ſunt hominum,
quorum nummi in ten-
tatione ejus proceſ-
ſuum miſe-
rè perie-
runt.

Au-

Auctoritates Philoſophorum Harmonicę, in corroborationem hujus tractatuli allegatæ.

I. de antiquitate, ſummâ præſtantiâ, & certitudine artis Chemicæ.

Eſdras Prophet a Lib. 4. Cap. 8.

TErra dicet tibi; quoniam dabit terram multam, magis, unde fiat fictile; parvum autem pulverem, unde aurum fiat: hæc verba ſunt reſponſum Archangeli ad quæſtionem Eſdræ, cur damnati tàm multi, electi verò tam pauci eſsent.

Exod. 32.

Moyſes accipiens vitulum illum (quem Aaron ex auro fecerat) exuſſit igne, commoluitque, donec minutus eſſet: diſpergenſque in ſuperficiem aquarum, juſſit bibere filios Iſraelis; nota hoc, nam ignis communis non comburit Solem, ut pulvis fiat ſuperficiei aquæ innatans.

Pſal. 12.

Dicta Jehovæ dicta pura, argentum purgatum in catino lectiſſimo terræ, defæcatum ſepties. Hîc proculdubio non argentum vulgare intelligitur, aliàs aurum commune illo multò præſtantius, potuiſſet in ſimilitudinem meliùs ſumi.

Siracides Eccleſiaſticus. Cap. 38.

Altiſſimus creavit de terra medicinã, & vir prudens non abhorrebit illam.

Apocal. Johan. Evangeliſta.

Ipſa Civitas (nova ſcilicet cœleſtis Jeruſalem erat aurum purum & ſimilis vitro puro) videlicet pelluciditate, ut etiam aurum philoſophicum pellucidum arte fit.

Hic Johannes Evangeliſta numeratur etiam ab Avicenna dictione primâ libri de anima, inter poſseſsores Lapidis Philoſophici, ſuoſque inſtitutores, qui ſe ſcilicet Avicennam, artem hanc docuerint, quod veriſimile eſt, nam & Eccleſia priſca, Auctore Adamo à ſancto victore, die D. Johanni Evangeliſtæ ſacro, menſe Decemb. in hymno incipiente; gratulemur ad feſtivum &c. ſic in ejus honorem cantavit:

Cum gemmarum partes fractas,
Solidaſſet, has diſtractas
Tribuit pauperibus.

Ine-

Inexhauſtum fert theſaurum,
Qui de virgis fecit aurum:
Gemmas de lapidibus.

Dionyſ. Zachar. 1. parte opuſc.

Colores quos Philoſophi ſcribunt apparere debere, vidi Dei gratiâ omnes ſucceſſivos unum poſt alium,& deinceps proprio die paſchatis (poſt inceptionem) vidi perfectionem, experientiâ factâ ſuper argentum vivum, calefactum in tigillo, & converſum in purum aurum, præ meis oculis, breviori ſpacio, quàm unius horæ, pauco admodum hoc divino pulvere.

Idem in ſecunda parte opuſculi ſui.

Omnis donatio bona, & omne donum perfectum è ſupernis eſt, deſcendens à patre luminum &c. hæc D. Jacobi ſententia generalis eſt, quapropter & noſtræ convenit intentioni, maximè, quia *Scientia noſtra* eſt tàm Divina; tàmque ſupernaturalis (in ſecunda quidem operatione) ut ſemper fuerit, ac ſit adhuc impoſſibile hanc innoteſcere hominibus, quocunque ſtudio, vel induſtriâ quâvis, etſi omnium ſapientiſſimi ſint, atque doctiſsimi Philoſophi, niſi primum â Deo ſit inſpirata; deficiunt enim hâc parte nobis naturalis omnis ratio, & experientia, quapropter me-

ritò ſcriptum eſt à nonnullis, arcanum eſse reſervatum à Deo ſuis: ipſum timentibus, & honorantibus, ut ait ille magnus Propheta noſter Hermes: à nullo alio (inquit) nec per alium, quàm à Deo per Divinam ejus inſpirationem habeo.

Idem ibid. in præfatione.

Hactenus ignorarunt, partem hujus Divinæ Philoſophiæ non eſse in humana poteſtate, adeò ut libris ſolis intelligi queat, ſed in voluntate Dei ſitam, qui revelat cui vult per Spiritum Sanctum ſuum, vel per medium alicujus hominis. Divinum opus voco hac de cauſa, quod nemo per ſe ipſum, abſque Divina inſpiratione comprehendere, vel intelligere poteſt, etſi doctiſſimus alioqui Philoſophus exiſtat, ut ait Geber adverſus omnes, qui ſolâ conſideratione cauſarum, operumque naturalium operari nituntur, inquiens: in in eo plurimum errant, putantes ſe Naturam imitari poſse, cùm id arti ſit in omnibus impoſſibile.

Auctor Roſarii.

Venio vobis aperire ſecretiſſimum omnium ſecretorum totius Mundi, theſaurum non fictè, nec irriſoriè, ſed

cer-

certiſſimè, nempe eorum; quæ vidi propriis oculis, & manibus meis palpavi.

Morienus.

Hoc magiſterium nihil aliud eſt, niſi arcanum, & ſecretum ſecretorum Dei altiſſimi & magni: ipſe enim hoc ſecretum ſuis Prophetis commendavit, quorum ſcilicet animas in ſuo paradiſo collocavit.

Idem ibid.

Pręponit Dominus ex ſuis ſervis, quos vult, & eligit, ut hanc ſcientiam Divinam homini celatam quærant, & quæſitam ſecum retineant; hæc enim ſcientia eſt quę Dominum ſuum abſtrahit ab hujus Mundi miſeriâ, & ad ſcientiam bonorum futurorum reducit.

Idem.

Confert Deus hanc Divinam & puram ſcientiam ſuis fidelibus, & ſervis, illis ſcilicet, quibus eam à primæva rerum Natura conferre diſpoſuit; ſuâ mirabili fortitudine, quæ quum alicui ex ſuis fidelibus collata fuerit, decet ipſum priùs prævidere, cui poſtea eam committat, & detegat, nam hæc res non niſi donum Dei altiſſimi vocari

poteſt, qui prout vult, & etiam cui vult, ex ſuis ſervis & fidelibus illud committit & monſtrat.

Rupeſciſſa.

Si dicerem tibi millies, hoc eſt ſecretum ſecretorum, non poſſet ſufficere ad exprimendam medietatem arcani.

Geber Rex Arabiæ.

Filii doctrinæ, perquirite hoc excellentiſſimum Dei donum, vobis ſolis ſervatum, filii inſipientes nequitiæ, & malevoli, ab hac fugite, quoniam vobis eſt inimica & adverſa, & vos in miſeriam conſtituet, quoniam vobis penitus hoc Dei donum, ejus Divinâ providentiâ & judicio, eſt occultatum & denegatum omninò.

Idem.

Ea quæ in noſtris voluminibus à nobis ſcripta ſunt, conſideravimus per experientiam manifeſtam, & per noſtrum experimentum digitis extraximus & vidimus oculis, & manibus tetigimus.

Bernhardus Treviſanus in præfat. ſui libri.

Non tædere [illegible] laborum, vel pœnitere quenquam, qui credat, his evi-

tari

tari poſse paupertatem intolerabilem, & morbos omnes animi & corporis, ut ipſemet expertus ſum in multis leproſis, caducis, hydropicis, hecticis, apoplecticis, iliacis, dæmoniacis, inſenſatis, furibundis, & aliis quàm plurimis. In addiscendâ quâpiam arte Mechanica vel aliqua liberali ſex vel ſeptem anni ad minimum ſunt inſumendi, ſed in hac omnes alias excellente, quantum Sol ſtellas omnes, non ultra menſem, quinque vel ſex, ſuſtinere quis volet.

Morienus ad Calidem Regem.

O Rex, ſi regnum tuum vendidiſses, hoc opus non compenſares.

Dionyſ. Zach.

A ſimili concludimus in arte noſtra: ſi videatur fumo ſolò plumbi coagulari Mercurium, & atramentorum, fieri componique poſſe medicinam perfectiſſimam, naturæ metallorum, & qualitatibus congruam, quâ cum cæteris imperfectis perfici queat, ſolâ projectione ſuper ipſum facta, præſertim cùm & ipſa mineralia compoſita congelent Mercurium, ipſumque reducant in ſuam naturam, quanto magis perfecta per noſtram artem ritè præparata congelabunt ipſum, ac reducent cum

aliis imperfectis metallis, ingenti & exuberanti ſuâ decoctione, quam habent per adminiſtrationem artis noſtræ. Quò firmiùs hanc noſtram intentionem curioſis hominibus approbemus, ut ejus veritati certitudinique meliùs aſſentiant, Ariſtotelis ſententiam lib. 4. Meteor. adducamus; Omne (inquit) quod eandem tum aliquo compoſito operationem efficit, eſt eidem per omnia ſimile, ut omne quod operationem habet oculi, eſt oculus. Haud ſecus, cùm aurum noſtrum arte noſtrâ compoſitum, per omnia ſimile ſit minerali (in quo verſatur omnis controverſia diſceptationis, ut tum aurum à nobis compoſitum verum ſit aurum) ſatis docuiſſe videmur ex Philoſophi ſententiâ, artem noſtram eſſe veram & certiſſimam.

Aurel. Aug. lib. 1. Chryſop.

Nil mirandum æquè quàm, ſi quòd longa peregit,
Annorum ſeries genitali ſemine cœptum;
Audeat illud idem momento protinus horæ,
Ars facere, ac proprio Naturam vincere curſu,
Quem tenuit tanto in ſpacio, per grandia terræ
Viſcera, ſumma eadem ſervans veſtigia ab imâ
Sede, per anfractus tantos, cæca per antra,
Nec minus his mirũ, ſi quis primordia poſſit
Scire, quibus conſtet puri genus omne metalli,

Atque

Atque ea componens, aurum dum conficit arte.
Nec longinqua adeò ſpatioſi temporis ætas
Conuenuit huic operi, vires quod promit ab auro,
Ac non principiis è primis conficit aurum:
Quid ſi nobilius quoddã quod præſtet & ipſi
Auro, contendant proprio molimine ſummi
Perficere artifices? aptè cui nomen Elixir
Experti fecere Arabes, veriquè dedere
Indicium: id quoniam in melius quodcunque metallum
Ducit, & infectum mirâ depurat ab arte,
Sic neque ſpectãdus nobis locus ille calorque,
Quo calet incluſum ſemen genitale metalli,
Quique diu fertur ſpecubus tellure ſub altâ,
Aſt alio prorſum ducendi tramite greſſus,
Naturæ pariter ſuceſſus inter & artis,
Quâ ſimul ad metam proſpectans utraque ducit.

II. *De requiſitis ſcrutatorum artis.*

Geber.

COmplementum narramus totum hujus magiſterii, ſub brevi ſermone completo & noto, & eſt illius intentio, ut per ſublimationis modum mundetur perfectiſſimè Lapis & illius additamentum. Et abhinc quidem volatiuum ex eis figatur: dehinc verò fixum volatile fiat, & iteratò volatile fixum, & in hoc ordine completur arcanum precioſiſſimum, quod eſt ſuper omne hu-

hujus Mundi ſcientiarum arcanum, & theſaurus incomparabilis: & tu quidem exerciteris ad illum, cum laboris inſtantia maxima, & cum diuturnitate meditationis immenſæ, cum illa enim invenies & ſine illa non.

Agadmon in Turba.

Qui citò putat ſe ex libris noſtris fructum capere poſſe, fallitur, ſatiùs enim fuerat non inſpicere quidem, quàm temerè contigiſſe: Libri enim noſtri magnam injuriam inferunt his, qui ſolummodò ſemel, bis vel ter ſcripta noſtra perlegerunt, cum intellectu omnique ſtudio privati, etiam quod peſſimum eſt, opes, labores & tempus amittunt. Veruntamen qui curvat dorſum ſuum ad libros noſtros legendos, iiſque ſtudioſè vacat, memoriam animumque adhibet, nec eſt vanis implicitus cogitationibus, Deum precatur ut Salomon pro Sapientia, non pro opibus, is in Regno noſtro regnabit indeficienter, quouſque moriatur.

Senior in Clav. Phil.

Tu qui in timore Dei ſtudioſus fueris, Lapidis hujus ſecretum & apparentem virtutem videbis, & invenies ſpiritu altiſſimi inſtructus, ut cognoſcas, quoniam omnis ſapientia à Deo eſt.

Her-

Hermes in Tract. 2.

Fili moneo, ante omnia te Deum timere, in quo diſpoſitionis tuæ niſus eſt. *Idem ibid.* Oportet tyronem ſcientiæ arrogantiæ vitium à ſe repellere, pium ac probum eſſe.

Alphidius.

Hanc ſcientiam habere non potes, quouſque mentem tuam Deo purifices, & ſciat te Deus mentem habere contritam. Idem, ſi humilis fueris ejus Sophiâ & ſapientiâ perficietur, ſin autem, ejus diſpoſitio penitus te latebit.

Virgilius.

— — Ipſe volens faciliſque ſequetur,
Si te fata vocant: aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

Geber ſum. perfect. Cap. 7.

Nemo adinvenire nitatur ſophiſticam operis metam, ſed ſoli complemento Elixiris ſit intentus, fortè enim Deus ex ſophiſtici operis vindictâ tibi artem denegaret, & in devium erroris te crudeliter detruderet, & ex errore in infelicitatem & miſeriam perpetuam.

Ariſtoteles in perfecto Magiſterio.

Rogo te fili, ut ineſſabili lectione Philoſophorum libro ſcruteris: qui enim in legendis libris deſes extiterit, in præparandis rebus promptus eſſe non poterit, quia non poteſt de levi ejus in practicâ manus aſsueſcere, cujus mens in Theoricâ renuit deſudare, ille namque ad operationem ſecurius accedet, in cujus mente plures operationem imagines variæque reſultant.

Aurel. Aug. lib. 3. Chryſ.

In magnis labor eſt, nec non par gloria, ſi quem
Reſpiciunt placido præſentes lumine Divi,
Inſequitur que ardens velut inde accenſa voluntas.
Principio ſpontis propriæ, ſemotus ab omni
Sit curâ, & vitâ tranquilla per ocia ducat
Secretus, latitansque etiam, cui talia curæ.
Eſt etiam non illa quidem poſtrema beati
Artificis ratio, quâ ſe commendet & ipſum.
Diis opus æternis, neque enim ſine numine Divum.
Hæc veniunt, neque adhæc ulli aſpirare licebit.
Qui non ritè Deos ſtuduit ſibi adeſſe precando.

Ri-

Richardus Angl. in Correct. Cap. 2.

Studium amovet ignorantiam, & reducit humanum intellectum ad veram ſcientiam & cognitionem cujuslibet rei.

Geber.

Sapiens artifex in noſtris ſtudeat voluminibus, colligendo noſtram diſperſam intentionem, quam in diverſis locis propoſuimus, ne malignis, & ignaris publicetur, & collectam probet, donec ad cognitionem ſtudendo & experimentando cum laboris inſtantiâ ingenioſâ pervenerit totalem: exerceat ergò ſe artifex, & inveniet; non tradidimus ſcientiam noſtram ſermonis continuatione: ſed eam ſparſimus in diverſis capitulis, & hoc ideò, quoniam tàm probus quàm improbus, ſi continuatim fuiſſet tradita uſurpaſset indignè, & eam ſimiliter occultavimus, ubi magis apertè locuti fuimus. Non deſperet tamen doctrinæ filius, quoniam qui per ſuæ induſtriæ bonitatem quæſiverit ſcientiam, invenerit; per ea igitur, quæ tradidimus, exerceat ſe bonæ mentis artifex, & Dei donum altiſſimi ſe adinveniſſe lætabitur. Expedit etiam, ut ſuam pecuniam cuſtodiat, nec eam preſumptuoſus

va-

vanè diſtribuat, ne fortè, ſi jam propinquus fuerit veritati, non habeat ulterius, unde laboret, qui etiam principia naturalia in ſe ipſo ignoraverit, hic multum remotus eſt ab arte noſtrâ, quoniam non habet radicem veram, ſupra quam intentionem ſuam fundet.

Iſacus Hollandus.

Si quid laboras, libellum ſume & ſcribe omnia.

Thomas Aq.

Hortor, ne aliquis præſumat incipere opus, niſi ſit multum peritus & expertus in principiis naturalibus.

Avicenna.

Cognoſce redis mineralium, ut ex ipſis facias opus tuum.

Ioh. Aurel. lib. 2. Chryſ.

Atque ideo artifici majus nihil eſſe putato,
Quàm quibus è primis opus id componere poſſit
Noſcere, quæve prius capiat, circumque laboret,
Mox ut Naturæ ſe tum præbere miniſtrum

Sen-

Sentiat, exemptum latebris cum nobile ſemen
Proferet in lucem ſolers, iterumque tenebris
Reddet, & occultâ ſervatum pyxide claudet.

III. *Materia Lapidis debet eſſe Metallica.*

Rogerius Bacon in ſpec. Alch. cap. 3.

CUm ex argento vivo & ſulphure cuncta procreentur metalla, & nulla res metallis adhiberi debeat, quæ non ex ipſis ſit compoſita vel orta, ſatis nobis apertè relinquitur, quod nulla res extranea, quæ ex his duobus non ſumpſit originem, potens eſt, & ſufficiens, ipſa perficere, vel eorum tranſmutationem facere novam, quare admirandum eſt, quòd aliquis prudens ſuam fundat intentionem ſuper animalia, ſive vegetabilia, quæ valdè ſunt remota, cùm inveniantur mineralia ſatis propinqua. Nec credendum eſt omninò, quòd aliquis Philoſophorum poſuerit artem in prædictis remotis, niſi ſimilitudinariè; ſed ex his prædictis duobus ſiunt metalla cuncta, & nihil eis adhæret, nec eis conjungitur, nec ea tranſmutat, niſi quòd ex illis eſt; & ſic de jure oportet nos accipere argentum vivum, & ſulphur pro Lapidis noſtri materiâ.

Paracelſus in Manua.

Quoniam oportet, Naturam ut ſequamur,& naturali Medicina utamur, circumſpiciendum erit, quænam omnium rerum humano corpori in Medicina conveniat potiſſimum. Nec ullus dubito, quin lubens confitendum, & ſtatuendum ſit metallica arcana cum corporibus humanis in maxima eſſe cõvenientia; atq; etiam perfecta metalla propter ſuam perfectionem, imprimis verò humor radicalis ex eiſdem &c. quod etiam (paulò poſt dicens) in Lapide Philoſophico contingit, quem ſi ex ſuo genere (in jam dictis circumſtantiis tibi indicato) conficere voles, neceſſe eſt, ut demas ei ſuperfluitates.

Treviſanus in 1. p. ſui lib.

Nihil extranei opus eſt ad iſtum Lapidem, per ſe ipſum enim in materia ſua metallica perficitur.

Raymundus.

Corpus in hac arte eſt ens metallicum, in quo virtus mineralis ſpiritus quieſcit: & metalla ſunt id, ex quorum ſpiritu omnis lapis componitur. Spiritus autem dicitur mineralis virtus, in qua naturæ metallorum quieſcunt: & omnis lapis componitur

ex

ex ſpiritu metallorum. Et ille ſpiritus conſideratione Chemiſtarum dicitur Mercurius, quia prima & propria Natura conſiderata in hac arte eſt prima metallorum materia.

Tur. Phil. exercit. 12.

Lapis Philoſophicus eſt materia metallica, convertens ſubſtantias & formas metallorum imperfectorum, hanc autem converſionem non fieri niſi per ſuum ſimile; jam dudum ab omnibus Philoſophis eſt conclamatum. Neceſſe igitur eſt Lapidem Philoſophorum ex metallica materia gigni, ex qua autem metallica ſpecie generetur, id ſonant omnes Philoſophi dicentes: In Mercurio eſſe omne id quod à ſapientibus quæritur, & ſicut caro generatur ex ſanguine coagulato, ita & Sol generatur ex Mercurio coagulato; & ſicut ſanguis eſt origo carnis, ita etjam Mercurius eſt in Lapide Solis, quia ipſe Mercurius congelatus eſt in Lapidem Solis, & ſic Mercurius eſt Sol, & ejus Sol eſt Mercurius, & omnia corpora metallica ſunt Mercurius, tàm pura quàm impura, quia ex eo generata ſunt: & ut Mercurius eſt principium omnium metallorum, ita & Sol eſt finis ac ultimum metallorum, & omnia metalla munda & im-

immunda ſunt intus Sol, Luna & Mercurius, ſed unus verus Sol qui abſtrahitur ab illis.

Parmenides ibid.

Modus artis ad invicem convertentis ſic habet: primò ſolve Lapidem in ſuum Mercurium, Lapidem dicunt authores metallicum, ablue, reduc, fige & incera.

Incertus in Turba de art. Chem. Cap. 17.

Lapis habet multa nomina, & dicitur eſſe in omni re, quamvis in unâ ſit propinquior quàm in aliâ, cum Philoſophi ſolam Naturam generativam metallorum efflagitent, unde dicunt: Divites, id eſt perfecta corpora ſicut aurum & argentum, habent eam naturam ut pauperes id eſt imperfecta metalla. Eſt tamen perfectior & in igne permanentior auri vel argenti natura, quàm in cæteris metallis.

IV.

IV. *De ortu ac generatione metallorum; & quod omnia prodeant ex una radice.*

Geber. lib. perfecti mag.

ARtificem hujus ſcientiæ oportet eſſe ſubtiliſſimi ingenii, & naturas metallorum & eorum generationes, infirmitates & imperfectiones in ſuis mineris ſcire, & cognoſcere, antequam perveniat ad hanc artem, non autem ad ipſam indagandam accedat artifex groſſo ingenio & duro repletus, nec cupidus, nec avarus in ſumptibus vel expenſis. Nec vir duplex animo, ſine felle & durâ cervice, nec mente variabilis, nec nimis feſtinus aut capitoſus, ſed doctrinæ filius vir ſubtiliſſimo ingenio decoratus, ſufficienter locuples, largus, ſanus, firmus in propoſito & conſtans, patiens, mitis, longanimis, & temperatus.

Aurelius Aug. lib. 1. Chryſ.

Principio locis & ſedes decreta metallis
Gignendis, terræ eſt imum atque immobile viſcus,
Marmoreæ in morem pateræ ſub montibus altis
Exciſum: velutique cavo ſub fornice clauſum.

Quo Solis radii penetrant, crebrique feruntur,
Syderei innumeris etiam fulgoribus ignes,
Collectumque coquunt humorem, ac jugibus inde
Saxa per & rimas loca cuncta vaporibus explent.
Aſt ubi continuũ paſſus vapor ille calorem
Conſedit, nec jam ſecreta per antra volutus
Amplius, immenſos poſt tandem induruit annos,
Hæret in expletis venis informe metallum.
Namque liquor partes terræ diſperſus in omnes,
Et tenuis tenui mixtus, lentoque calore
Compoſitus, quondam fugiens & pinguis & unctus
Exiit è vaſti fundo crateris ab imo
Sulphura ubi argento fervent immiſta perenni,
Argento fluere inſigni, vitamque per ævum
Ducere, queis primis gignuntur multa duobus.
Hoc matris, patris illud enim vim continet; hujus
Suſcipere, illius pars eſt præbere calorem.
Hinc fulvi ſpecies auri pulcherrima fulget:
Hinc nitet argenti candor; rubet ærea vena:
Ferrea nigreſcit ſub apertum; plumbea pallet:

Albicat ac ſtanni facies imitata colorem
Argenti, pondusque ferens, ni ſtrideret æquum.

Trevis. 3. par. de Alch.

Materia metallica conſtat ex Solo Mercurio frigido & humido crudo, in quo ſunt etiam Elementa quatuor, ſcilicet calidum, humidum, frigidum & ſiccum, quorum duo dominantur, frigidum & humidum: ſubjecta ſunt iſtis calidum & ſiccum Cœleſtis motus calor circumcirca terram penetrans & venas ejus, eſt tam remiſſus ac temperatus, ut vix perceptibilis, at continuus: noctu pariter ac diu ſemper æqualis. Calor hic non provenit ex Sole ſed ex reflexione ſphæræ ignis aërem circumeuntis, & etiam ex continuo motu corporum cœleſtium, calorem continuum ac lentum excitantium, vix imaginabilem. Quamvis etiam calor mineralium eſſet à Sole (ex ſententia Reymundi Lullii & Ariſtotelis (nihilominus calor eſſet continuus, quia Sol dies ac noctes circum terram volvitur inceſſabiliter, verùm iſtorum opinio falſa eſt, quoniam Sol non eſt calidus neque frigidus, at motus ejus eſt naturaliter calidus. Calor itaque proveniens ex motu corporum cœleſtium, aſſidue verſatur in venis terræ: non tamen calefacit mineras.

Nam

Nam ſi vel minimè calefaceret, hoc ſi tantillo calore activo, minore ſpatio temporis, quàm annorum decem, decoqueretur Mercurius in perfectionem Solis, quod vix centum fieri conſuevit. Terra ſiquidem eſt frigida & ſicca, mineræ quoq; ſunt in centro terræ: priuſquam igitur vel tantillum caloris percepiſsent à ſole actualiter, nos qui ſumus proximiores, adureremur prorſum: Intenſiſſimus eſse deberet enim, ſi terram & aquam frigidiſſima corpora penetrans, nihilominus calorem adhuc retineret, cum ad centrum perveniſſet, non extinctum penitus. verum enim verò hæc naturalius intelligi debent ad hunc modum: Cùm ipſe Mercurius componatur ex 4. Elementis, calefactis igitur iſtis à communibus & generalibus, per ſuum proprium motum, naturalis calor excitatur ab ejuſmodi motione: Pariter ignis & aër, exiſtens in Mercurio, moventur, & ſenſim elevantur, cum digniora ſint elementa, quàm aqua & terra Mercurii, nihilominus humiditas & frigiditas dominantur, at quia calor & ſiccitas digniora ſunt elementa, vincere conantur alia duo, videlicet frigiditatem & humiditatem in Mercurio dominantes, nam cœleſtes motus excitant alios motus calorum naturalium, per quos Mercurii motus, i.e. qualitates moventur, poſtmodum ſucceſſu longo tem-

temporis Mercurii ſiccitas vincit gradum unum ſuæ humiditatis, & fit plumbum, alium quoque deinceps gradum vincit & fit ſtannum. Tandem calor Mercurii iterum paululum humiditatis ex frigiditate vincit & fit Luna. Calore plus adhuc dominante fit æs vel venus, & poſtea ferrum atque Sol perfectus, hac via duæ, qualitates quæ prius ſuccumbebant frigidate & humidate victæ modo vincunt alias ac dominantur caliditas & ſiccitas, quæ ſunt in excitatione ſua ſulphur & Mercurii frigiditas atque humiditas ſunt ipſemet Mercurius, non quod ſulphur hoc ſit quidpiam à Mercurio diviſum, aut ſeparatum, ſed eſt ſolum caliditas & ſiccitas, quæ non dominantur in frigiditatem & humiditatem Mercurii, hoc ſulphur poſtea digeſtum, dominium habet in duas alias qualitates dictas, frigiditatem & humiditatem & ſuas imprimit virtutes, per ejuſmodi graduum decoctionem fiunt metallorum diverſitates, paulò pòſt: Sulphur non eſt quid per ſe ſeorſim extra ſubſtantiam Mercurii, neque vulgare ſulphur, alioqui materia metallorum non eſſet homogenea (quod pugnat contra Philoſophorum omnium aſſertiones, qui hujuſmodi ſubſtantias dominantes vocaverunt ſulphur à ſimilitudine, quia ſubſtantiam habent inflammabilem, velut ſulphur calidam & ſiccam cui inſunt.)

unt.) Unde liquet apertiſſime, formas metallicas à natura ſolum ex pura ſubſtantia Mercuriali creatas eſſe non extranea, Gebro ſic atteſtante: in profundo (inqvit) naturæ Mercurii eſt ſulphur, quod fit longo ſucceſſu temporis, in venis minerarum terræ, manifeſtius hac de re loquuntur Morienus & Aros: Noſtrum ſulphur (inquiunt) non eſt vulgare, ſed fixum, & non volatile, de natura Mercurii & non ex alia re quapiam.

Roſarium Phil.

Prima materia corporum non eſt Mercurius vulgi, ſed eſt vapor unctuoſus & humidus; nam ex humido fit lapis mineralis, & ex unctuoſo fit corpus metallicum. In talem namq; vaporem unctuoſum oportet ut corpora convertantur, & in converſione corpora interimuntur, & granum corporis in mortem proſternitur, & totaliter mortificatur, & hoc fit mediante noſtrâ aquâ albâ & rubrâ.

Arnoldus.

Materia Prima metallorum eſt quædam ſubſtantia fumoſa, continens in ſe humiditatem unctuoſam, à qua ſubſtantia artifex ſeparat humiditatem Philoſophicam, quæ apta eſt pro opere, quæ erit tam clara ſicut lachrima, in qua habitat quinta eſſentia metallica, & illa eſt metallum placabile, & in ea eſt medium conjungendi tincturas.

Dio-

Dionyſ. Zachar. 2. part. Opuſc.

Omnium Philoſophorum a ſententia eſt, cuncta frigore congelata plurimum abundare humidate aqueâ in ſuâ prima materia, ut ait Ariſt. 4. meteor. cum igitur liquata metalla frigore congelentur, neceſſariò prima ipſorum materia humiditate multa pollebit aquatica. verùm Albertus Magnus (qui præ cæteris mineralia ſcrutatus eſt exactiſſimè) iſtam humiditatem aqueam ait, non eſſe ſimilem aquæ humiditati, quam videmus communiter in aliis Naturæ compoſitis. Iſta namque per ignis violentiam in fumum tranſit, at liquata metalla non ita reducuntur in vaporem; concludendum hinc ipſorum humiditatem alicui materiæ permixtam eſſe, qua retineantur in igne, tutaque ſint ab ejus vehementia, nihil autem igni magis reſiſtit quàm humiditas viſcoſa, permixta ſubtilioribus terræ partibus, ut ait Bonus Ferrarienſis & experientia docet: quapropter metallorum humiditatem eſſe talem firmiter credendum eſt: Cum tamen experientia doceat, inter repurgandum aliquas humiditates in fumum abire, metallis nihilominus in igne minime conſumptis, fatendum eſt cum præcipuis Auctoribus noſtræ ſcientiæ, metallorum compoſitionem ſubintrare duplicem humi-

ditatem viſcoſam, extrinſecam & intrinſecam, prior eſt craſſa ſubtili ſuæ terreſtri materiæ non bene permixta, quapropter ab igne facile comburitur in conſumptionem, poſterior verò quia maximè ſubtilis, & optimè permixta ſubtili ſuo terreo, ut ambæ partes unicam & ſimplicem materiam conſtituãt, neutra per ignem ab alterâ ſeparari vel abſumi poteſt, quin ſimul abeant aut ſimul remaneant in igne, idem. Natura in procreatione metallorum, poſtquam creavit materiam, id eſt argentum vivum, tanquam ſagaciſſima proprium adjungit agens: nempe terræ mineralis quandam ſpeciem, velut colloſtrum ejus & pinguedinem, in cavernis terræ mineralibus, longâ decoctione inſpiſſatam, hanc vulgariter vocamus ſulphur: comparatione ad argentum non aliâ, quàm coaguli ad lac, viri ad fæminam, agentis ad materiam ei ſubiectam. Philoſophi duplex ſulphur poſuerunt, unum facilimæ liquefactionis, alterum verò congelatum ſolum, & non fuſibile, proinde quò natura demonſtraret virtutem & efficaciam agentis id eſt ſulphuris, in materiam, cui adiunctum eſt, effecit mirabili compoſitione quadam, ut metalla coagularentur actione ſulphuris fuſibilis, ut eſſent liquabilia. Verùm alia mineralia ſimplicia compoſuit actione ſulphuris non fuſibilis, ut non eſſent fuſibilia,

lia, ut ſunt magneſia, marcaſitæ & id genus alia. Cum autem agens non poſſit eſſe pars materialis compoſiti, ut Ariſt. ait; natura procreans metalla ſub terrâ poſtquam dictum ſulphur miſcuit cum argento vivo, compoſitione quidem inenarrabili, pretioſiſſimum inde generat metallum, aurum videlicet: ab eo decoctione perfectâ ſeparando ſuum agens, id eſt ſulphur, & hæc eſt ratio cur ſit perfectius omnibus aliis metallis, tum quod videamus, naturam illud in melius non commutare, item hac de cauſâ melius ac facilius conjungitur argento vivo, quia nihil aliud eſt quam argent. vivum, proprio ſulphure decoctum & prorſus deinceps ab eo decoctione dictâ ſeparatum.

V. De genuino ſubiecto omium Philoſophorum, & quod tota ars ſit ex unica re.

Geber de invent. verit. cap. 1. & 2.

CORpora, ex quibus elicitur noſtra medicina, habeant in ſe has qualitatum proprietates. Primò habeant in ſe terram ſubtiliſſimam, & incombuſtibilem, aptamque ad figendum, omnimodo fixam cum ſuo radicali humore.

2 Humiditatem aeriam & igneam, uniformiter illi terræ cunjunctam, ſic ut ſi unum fuerit volatile, ſit & reliquum, & ut ipſa humiditas ſit ſuper om-

omnes humiditates expectans ignis calorem, uſque ad ſui ſufficientis inſpiſſationis terminum completum, quoad indigentiam completionis ipſius, cum permanentia inſeparabili terræ ſibi annexæ, ſine evaporatione.

3 Quod humiditatis diſpoſitio naturalis ſit talis, ut per beneficium ſuæ oleaginitatis in omnibus ſuarum proprietatum differentiis terram ſibi annexam, converſione utriuſque in alterum homogenicè, ſic contemperet unctuosè & unione totali, & vinculis conjunctionis inſeparabilitatis æqualiter, ut poſt finalis præparationis gradum fuſionem bonam præſtet.

4 Quòd hæc oleaginitas ſit tantæ puritatis eſſentiæ & ab omni re combuſtibili ſeu urente artificialiter emundata, ut omnia cum quibus per minima conjungitur, non comburat, ſed à combuſtione præſervet.

5 Quod claram & ſplendidam habeat tincturam in ſe, albam vel rubeam, mundam & incombuſtibilem, ſtabilem & fixam, & quod ignis nequaquam valeat ipſam permutare, neque ſulphura aduſtiva ſeu acuta corrodentia ipſa corpora corrumpere & defœdare.

6 Quod totum compoſitum inceratum cum ſuo complemento finali, ſit tantæ ſubtilitatis, materiæque tenuitatis, ut poſt finalem ſuæ decoctionis terminum, in projectione tenuiſſimæ ma-

maneat fuſionis, ad modum aquæ, & penetrationis profundæ,uſque ad occultum rei permutabilis, cujuſcunque fixionis ipſum extiterit in complemento: & cum vicinitate ſuâ ſeu affinitate adhæreat ſuo ſimili naturaliter, cum inſeparabili conſolidatione contra impreſſionem ignis in ipſa horâ ſua ſpiritualitate corpora in volitum (ſeu, ut Roſarius allegat, in ſui naturam) reducens.

His conſideratis, invenimus ſeptem proprietates rerum in noſtro Lapide neceſſarias,& opportunas & ſunt hę: Oleaginitas, materiæ tenuitas, affinitas, radicalis humiditas,puritatis claritas,terra figens & tinctura.

Primà verò differentiarum proprietas eſt ipſa oleaginitas, dans in projectione univerſalem fuſionem & apertionem materiæ, nam primum quod neceſſarium eſt poſt Medicinæ projectionem, eſt ipſius Medicinę ſubita & conveniens fuſio, quæ cum oleaginitate minerali perficitur & inviſceratur.

Secunda eſt materiæ tenuitas, ſive ipſius ſubtilitas ſpiritualis, tenuiſſimè fluens in fuſione ad inſtar aquæ, penetrans in profundum rei alterabilis:quia ſæcundò poſt fuſionem neceſſaria eſt ingreſſio ejus immediatè.

Tertia eſt affinitas ſive vicinitas inter Elixir & rem tranſmutandam,dans adhærentiam in obviatione ſui ſimilis, &

retentionem, quia rertio poſt medicinæ ingreſſionem immediatè adherentia conveniens eſt & neceſſaria.

Quarta eſt radicalis humiditas ignea, congelans & conſolidans partes retentas, cum adhærentiâ ſui ſimilis, unione omnium partium conſimilium inſeparabiliter in æternum: quia quarto poſt adhærentiam opportuna eſt partium conſolidatio, cum ſuâ radicali humiditate viſcoſa, & neceſsaria.

Quinta eſt puritatis claritas mundificativa, dans ſplendorem eminentem, à combuſtione præſervans, non adurens, nam poſt conſolidationem partium purificatarum relinquitur, quod ignis actualis habet comburere omnes ſuperfluitates extraneas, non conſolidatas: quare ſequetur purificatio immediatè, & eſt neceſſaria.

Sexta eſt terra figens temperata, tenuis, ſubtilis, vixa incombuſtibilis, dans fixionis permanentiam in ſolutione adhærenti ſecum, ſtans & perſeverans contra ignem: quia ſextò neceſsaria eſt immediatè fixio poſt purificationem, & opportuna.

Septima eſt tinctura dans colorem ſplendidum, & perfectum, album aut citrinum intenſum, & Lunificationem ſeu Solificationem rerum tranſmutabilium: quia ſeptimò poſt fixionem neceſsarius eſt & ultimus color tingens, ſeu tinctura colorans materiam con-

vertibilem in verum argentum vel aurum, cum omnibus ſuis differentiis certis & notis.

Arnoldus.

Nullo modo invenire potuimus, nec philoſophi ullo modo invenire potuerunt aliquam rem perſeverantem in igne, niſi ſolam illam unctuoſam humiditatem perfectam, non cremabilem metallorum.

Avicenna in epiſt. ad Aſſen.

Hoc eſt Elixir, quod tingitur tinctura ſua, & ſubmergitur oleo ſuo, & figitur calce ſua: cujus aquam invenimus ſicut aquam in mineralibus, & oleum ejus, ſicut eſt ſulphur, aut arſenicum in mineralibus, & calx ejus ſicut calx in mineralibus.

Hermes tractatu ſeptimo.

O filii Philoſophorum corpora ſunt ſeptem, quorum primum eſt aurum eorum optimum. Idem: Eſt in ſuperiori ſphærâ fontis vena, quæ eſt Philoſophorum regula prima.

Roſarius ex Platone.

Lapis noſter eſt res, quam ignis non tetigit, à qua noſter Mercurius ſurgit. Idem, Quatuor ſunt Mercurii, videlicet Mercurius crudus, Mercurius ſublimatus, Mercurius magneſiæ, & Mercurius unctuoſus, ſed magneſia eſt Luna plena, Mercurius Philoſophorum: id eſt materia, in quâ continetur Mercurius Philoſophorum, & eſt ille circa quem natura paululum operata eſt, & in metallicam formam formavit, tamen imperfectum reliquit, talis res dicitur medium ingreſsionis, quę neque eſt perfecta, neque ex toto imperfecta, & quod Natura non perfecit in ipſâ, artifex adjuvando Naturam ipſam poteſt reducere de imperfectione ad perfectionem; & ille dicitur lapis inviſibilitatis.

Idem: ex perfecto nihil fit, quia jam perfectum eſt, quoad iſtius naturam, habemus exemplum in pane, panis fermentatus & coctus eſt perfectus in ſuo ſtatu ſeu eſſe, & ad ſuum ultimum finem pervenit, nec ex eo plus poterit fermentari. Sic & in auro, aurum purum deductum eſt per examen ignis in corpus firmum & fixum, & cum eo amplius fermentare omnino impoſſibile eſt apud philoſophos, niſi habeatur materia prima metallorum, quâ reſolva-

tur

tur aurum in primam materiam, & in elementa miſcibilia. Recipiamus ergo illam materiam, unde erit aurum, & mediante artificio deducitur in verum fermentum Philoſophorum. ex perfecto nihil fieri poteſt, quoniam rerum ſpecies perfecta in ſuâ naturâ non mutatur, ſed potius corrumpitur, neque ex penitus imperfecto ſecundum artem aliquid fieri poteſt, ratio eſt, quia ars primas diſpoſitiones inducere non poteſt, ſed Lapis noſter eſt res media inter perfecta & imperfecta corpora, & quod Natura ipſa incepit, hoc per artem ad perfectionem deducitur, ſi in Mercurio operari inceperis, ubi natura reliquit imperfectum, invenies in eo perfectionem & gaudebis: item Lapis quem Philoſophi quærunt, in quo ſunt elementa prima mineralium, tinctura & calx, anima & ſpiritus cum corpore, fixum & volatile, eſt Mercurius, ſcilicet non quilibet, verùm ille circa quem natura ſuas primas operationes determinavit ad naturam metallicam & imperfectum reliquit.

Idem. Hic Lapis eſt unus in toto Mundo, & qui ab hoc uno in principio operis erraverit, in vanum laborat. In toto Mundo non eſt alia res neceſſaria in opere noſtro, niſi iſte Lapis, nobis ſolis filiis datus. *Arnoldus*: In noſtro Lapide ſunt Sol & Luna, in virtute & potentiâ, ac etiam in naturâ, niſi hoc eſſet, non

fieret inde Sol neque Luna, quia Sol in noſtro lapide ſunt meliores, quam vulgares in ipſorum naturâ, eo quod Sol & Luna in noſtro lapide ſunt vivi, & vulgares ſunt mortui, reſpectu Solis & Lunæ in noſtro Lapide.

Hoc ſubiectum etiam deſcriptum& nominatum invenies in Flamello, item in Riplæo, ac in Paracelſi lib. vexationum, ſeu potius fixationum, qui illud proprio nomine cum præcipuo ejus uſu ibi depingit.

Treviſanus.

Opus noſtrum fit ex unicâ radice, & ex duabus ſubſtantiis Mercurialibus, crudis aſſumptis & ex minera tractis, puris & mundis, igne conjunctis amicitiæ, ut exigit ipſa materia, aſſiduè coctis, uſque dum ex duobus unum fiat, in quo quidem uno corpus ſpiritus & iſte corpus facta ſunt â commixtione.

Dionyſius Zachar.

Eadem materia, quam Philoſophi vocarunt argentum vivum animatum, erit vera ſcientiæ noſtræ Divinæ materia, ad opus noſtrum Divinum complendum, cùm hoc ipſo & non alio natura in concavitatibus terræ utitur in procreatione metallorum pro ſuâ verâ materiâ vocaverunt argentum vivum ani-

ma-

matum, ut oſtenderent, inter ipſum & argentum vivum commune, differentiam, quod poſterius ita remanſit, quia Natura non adjunxit ei ſuum agēs proprium. Idem ib. fatuum foret credere ex omnibus materiis, quas miſcere poſſemus, ullas, etſi metallicas, aut quaſcunque alias eſſe poſſe veram ſcientiæ noſtræ materiam, cùm Natura nobis præparârit illam, ut nihil deſit præter hæc duo: ſcilicet eam purificare & perficere, conjungereque per decoctionem ſibi propriam & congruam *Idem part.* 2. Philoſophi non niſi rem unicam intellexerunt eandemque. Senior in hanc ſententiam ait: quanquam apparet quodammodo, Philoſophos diverſa tractare ſub variis diverſiſque nominibus: verùm enimverò nil niſi rem unicam intelligunt; omnium igitur opinio eſt, unicâ viâ Divinum hoc opus noſtrum abſolvi, teſte Gebro in ſumma: ſcientia noſtra (inquit) per diverſa non perficitur, at ſolùm per unicam rem, cui nihil addimus, nec diminuimus, ſed ſuperflua tantùm removemus præparatione ſolâ ſeparando.

Roſarius ex Ariſtotele.

O quàm mirabilis eſt illa res, habet enim in ſe omnia quæ quærimus, cui

nihil addimus, vel diminuimus: ſed in ſola præparatione ſuperflua removemus.

Morienus ad quæſtionem Calidis.

Hujus rei principalis prima ſubſtantia & materia eſt una, & de ea eſt unum, & cum ea fit, neque aliquid ſibi additur vel minuitur, &c.

VI. De rationibus præparationem faciendi.

Alchindes in ſpeculo lucis. lib. 2. Cap. 1.

SCitote viri ſapientes, à Philoſophis nihil prorſus celatum eſſe, præter initium & ſecretum artis, quod eſt difficillimarum rerum, & nihil aliud ſignificat, quàm corpus deſtruere, & in ſpiritum vertere.

Roſarius.

Lapis Philoſophicus creatus invenitur à Natura, & per Deum altiſſimum nihilo plus indiget, niſi ut removeatur, quod eſt ſuperfluum in eo.

Ærarium Philoſophorum M.S. Cap. 2. li. 1.

Nemo ſe intromittat huic operi, niſi clavem habeat Philoſophiæ, & intelli-

ligat, quid ſit apud Philoſophos: ſuperflua demere, nam ſi hæc ignoraverit, corpus in ſpiritum vertere non poterit, nec formam inducere nobiliorem.

Raymundus.

Quamvis hic Lapis noſter Tincturam in ſe naturaliter contineat, nam in corpus magneſiæ eſt creatus perfectè, per ſe tamen motum non habet, niſi perficiatur arte & operatione.

Roſarius ex Gratiano Philoſopho.

In Alchimia eſt quoddam corpus nobile, quod movetur de Domino ad Dominum, in cujus principio erit miſeria cum aceto, ſed in fine gaudium cum lætitia. Aſtanus in Turba: accipite ipſum ſpiritum nigrum non urentem, & cum eo corpora ſolvite & dividite.

Ioh. Aurel. Aug. lib. 2. Chriſ.

—— *neque enim quam debes ſumere, magnum*
Inveniſſe adeo eſt, habilem ſed reddere maſſam,
Hoc opus hic labor eſt, hic exercentur inanes
Artificum curæ.

Virgilius lib. 6. Æneidos.

Duc nigras pecudes, ea prima piacula ſunto.

Et

Et ſubſequenter ibid.

Accipe quæ peragenda prius, latet arbore opacâ
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Junoni Infernæ dictus ſacer, quem tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt in vallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta ſubire,
Auricomos niſi quis decerpſerit arbore fœtus:
Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit: primo avulſo non deficit alter
Aureus & ſimili frondeſcit virga metallo.
Ergo altè veſtiga oculis: & ritè repertum
Carpe manu: namque ipſe volens facilisque ſequetur,
Si te fata vocant, aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

Ariſthenes Philoſophus Græcus.

Æs noſtrum licet exterius mortuum ſit, tamen interius vitam habet, & per altiſſimum nullo alio indiget, quàm ut id, quod apud philoſophos precioſius eſt, colligatur, & quod viſu apud vulgum carius eſt, abjiciatur, & hæc ſunt verba manifeſta, ſine invidia.

In

In Roſar. Arnoldi 1. par. cap. 10. & 9.

Hic eſt Lapis noſter famoſus, & intentio noſtræ operationis eſt, quod eliciatur & eligatur puriſſima ſubſtantia Mercurii, in iſtis corporibus: quoniam Elixir conſiſtit in illis tantùm, & non in aliis, non fit tranſitus de extremo ad extremum: extrema noſtri Lapidis in primo latere eſt argentum vivum, in ſecundo verò Elixir completum. Media iſtorum, aliqua aliis ſunt magis depurata, decocta & digeſta: & illa ſunt meliora & operi propinquiora, quod te credo non ignorare, ſed bene ſcire. Idem in flore florum: Quidam ex ſolidis corporibus credunt Medicinam elicere, & præparant ea calcinando, ſolvendo, & congelando, & projiciunt ſuper corpus, & decepti ſunt, & error eſt, quia ſperma illorum non acceperunt, ſed corpus prout eſt in ſuâ naturâ.

Treviſanus.

Relinque metalla ſola, licet ex ipſis introitus eſt, quanquam metalla nihil aliud ſunt, quam argentum vivum congelatum, graduum decoctionibus, non tamen ipſa ſunt Lapis noſter, dum in formâ ſunt metallicâ: nam impoſſibile eſt, unam & eandem materiam habere duas formas, quâ ratione dicere poſſes,

ipſa

ipſa eſſe Lapidem (qui formam dignam & mediam habet inter meum & Mercurium) niſi prius corrumpatur, & auferatur ejuſmodi forma?

Riplæus.

Eſſentiale aliorum metallorum, eſt noſtri Lapidis præcipuum materiale.

Hermes lib. 1. *Apoc. Solis & Lunæ.*

Filii nolite hoc intelligere de Mercurio vulgi, ſed de mediâ mercuriali noſtrâ ſubſtantiâ, quæ non eſt viva, nec mortua, ſed de corpore Regis noſtri ſpoliati extracta, participians duabus extremitatibus, ſcilicet Mercurii & ſulphuris &c.

Clangor Buccinæ.

Spiritus præparans corpus diſſolvit, & mundificatâ corrumpentibus cauſis, & extrahit ſecundum ſpiritum in corpore exiſtentem & tingentem & reducit ad ſeipſum corpora, per diſſolutionem, & eorum duritiem mollificat, corpora illuminat, tenebras & impuritatem eorum à partibus puriſſimis ſegregando & removendo, erigit & exaltat corpora, reducendo ea in naturam ſublimem, inſpirat & ſubtiliat, dum ſolidum facit ſpirituale, & hæc ſunt bene-

neficia,ſeu effectus ſpiritus pręparantis corpus, extrahentis ab eo ſpiritum tingentem. Hic autem ſpiritus id eſt argentum vivum eſt primò groſſus, immundus,& fugitivus propter ſulphur, quod in meatibus terræ ipſi occurrit & immixtum eſt; ſed operatione artis,quæ fit per diſtillationem & ſublimationem, renovatur,mundatur,depuratur,decoquitur, inſpiſſatur, & per ſulphur album & rubeum coagulatur, eſtque duplex. 1. vapor ſiccus, non viſcoſus, acedinis multæ,ſubtilis valdè, faciem ignis fugiens de facili, vim magnam penetrandi habens, mineræ corpora reſolvens,& generatur ex rebus ponticis: 2. eſt in vapore humidus, non unctuoſus, ſed viſcoſus, acedinis maximæ; mediocriter,ſubtilis,ignis aſperationem de facili fugiens & in eo evaneſcens, vim ſolvendi corpora, & ſpiritus poſſidens, aqua in ſe ipſo exiſtens, & ſic notandum eſt, quod aliud eſt unctuoſum, aliud viſcoſum: nam ex humido viſcoſo generatur Lapis, ſed ex unctuoſa metalla, extrahe ergo argentum vivum ſeu lapidem philoſophicum, tam à corporibus, quam ab argento vivo, quoniam unius ſunt naturæ, & habebis Mercurium & ſulphur de illâ materiâ ſuper terram, de quâ aurum & argentum generatum eſt in terra.

Roſinus ad Saratam.

Calcinatio eſt corruptionis corporum & ſpirituum deſtructio, deſtruitur enim in eis omnis ſulphureitas deſœdans & comburens, quæ ſine ignis vehementiâ deleri non poteſt aliâ causâ: quia omne genus calcinati eſt facilioris ſolutionis, quàm non calcinati, calcinantur mollia, ut Saturnus, & Jupiter facilius, quàm dura, ut Mars &c. ideo dicit Dantius: præparate corpora & ſolvite ea. Galienus: præparate corpora, & purgate à nigredine, in qua eſt corruptio, donec album fiat album, & rubeum, tunc ſolvite ambo in aquam, ſcilicet ſpiritum, & corpus, & congelate ea.

Geber.

Cum corpus ſolidum fit, & propter ſoliditatem & latitationem occultæ ſulphureitatis in concavitate ſubſtantiæ argenti vivi defendatur per illud ab abuſtione, neceſſe fuit, cuntinuitatem ejus ſeparare, ut ignis liberius ad quamcunque minimam ejus partem perveniens, ſulphureitatem ex eo comburere poſſit, & non defendat ipſum continuitas argenti vivi in illo. idem. calcinatio eſt rei per ignem pulveriſatio, per privationem humiditatis parte conſolidan-

dantis. idem. corpus omni ſuâ humiditate privatum, dat ſolummodo fuſionem vitrificatoriam.

Auctor tabulæ paradiſi ſeu gloriæ Mundi.

Quando Philoſophi mentionem fecerunt calcinationis, ipſis terere ſignificantis, fatui comburere intellexerunt, & materias prorſus combuſſerunt, ut nihil amplius ex eiſdem generari potuerit.

Baſilius Valentinus.

Præparandus eſt noſter Azoth, per vulgarem Azoth.

Dionyſius Zacharius.

Operantum nemo non tres vel quatuor furnos habet, nonnulli decem vel duodecim, hunc ad calcinandum, illum ad ſolvendum, alium ad ſublimandum, & innumera vaſa quibus utuntur. Verum enimvero tales in diem extremum operarentur, priuſquam ad perfectionem hac via pervenirent, niſi corrigant ſuas operationes, nam unicus eſt operandi modus in unico vaſe in unicâ fornaculâ, præter amotionem, donec decoctio compleatur.

VII.

VII. *De ſublimatione & ſale ſapientum.*

Auctor conſilii.

ÆS artis & mineram ſola hominum opinio facit pretioſa, pulchritudo enim, quam habent, non eſt eorum, ſed lucis: omnis enim color eſt lux in corpore perſpicuo, terminata per opacum; aurum enim atque argentum & gemmæ de naturâ ſuâ latere volunt in luto & terrâ opacâ, unde hoc ſignificare voluit Morienus, dicens: Si hoc, quod quæſieris, in ſterquilinio inveneris, illud accipe, ſi verò in ſterquilinio non inveneris, manum tolle de marſupio, omnis enim res quę magno emitur precio, in hujus operis artificio, mendax & inutilis reperitur. *Et idem Gratianus*: ſi hoc in ſtercore inveneris, quod tibi placet vel expedit, nihilominus tolle, ſignificans quod de minera recenti accipere debes, quod non fuit in opere, &c.

Auctor aperta Arca.

Tota prima operatio nihil aliud eſt, quàm ſublimatio, & in hac multa puncta fiunt, quæ à Philoſophis collocata ſunt in diverſa capita: ſcilicet ſubtiliatio, mundatio, &c. ſed in totali ſummâ nihil aliud eſt, quàm defæcatio ſuperflui

flui fœtoris ſulphurei corrumpentis, & clarificatio, nec non ſolutio, ut fiat Sal cryſtallinus.

Paracelſus in praxi electri immaturi.

Videbis illud ſucceſſivè ſeipſum ad ſublimationem diſpoſiturum, hoc ſigno apparente ſublima, & electrum in albedinem exaltatæ aquilæ convertetur.

Geber lib. 2. Sum. Cap. 99.

Totius operis intentionis ſumma non eſt niſi ut ſumatur lapis in capitulis notus, deinde verò, cum operis inſtantiâ aſſiduetur ſuper illum opus ſublimationis primi gradus, & per hoc mundetur à corrumpente ſuperfluitate, & eſt ſcilicet ſublimationis perfectio, ut cum ea ſubtilietur Lapis, donec in ultimam ſubtilitatis puritatem deveniat, & ultimo volatilis fiat. *Idem ibid. lib. 1. Cap. 45.* Igitur ne ſis in præparatione illius (quæ per ſublimationem fit) negligens, quia qualis erit mundatio, talis erit perfectio.

Arnoldus in ſuo Roſ. lib. 2. Cap. 17.

Nullus debet ſublimare terram ad opus ſophiſticum, ſed ad Elixir noſtrum perfectum, & illa quæ ſublimantur, duo-

duobus modis ſublimantur, vel per ſe, quia ſpiritus ſunt, vel cum aliis, quia ſe incorporant cum ſpiritibus. Mercurius, dum ſit ſpiritus, ſublimatur per ſe, terra verò noſtra, cùm ſit calx, non ſublimatur, niſi quòd ſe incorporat cum Mercurio, converte ergò calcem, & imbibe Mercurium, & decoque donec fiant unum,

Mundus in Turba.

Niſi igne res attenuetis quouſque illæ ut ſpiritus aſcendant, nihil tunc perfeciſtis, hic igitur eſt ſpiritus ignem fugiens, & fumus ponderoſus, qui dum corpus ingreditur, univerſum penetrat & natura eo lætatur,

Hermes,

Fili extrahe à radio ſuam umbram, & fæcem quæ ipſum interficit. *Idem in op. Solis cap.* 16. Dealbate æs, & igne citò ſublimate, quouſque exeat ex ipſo ſpiritus, quem in eo invenies, hunc cinerem ne vilipendas, quoniam ipſe eſt diadema cordis tui, & permanentium cinis, corona victoriæ, & coagulum lactis, hic eſt cinis extractus à cinere, & genitum Philoſophorum, terra alba foliata, in qua ſeminandum eſt aurum. *Idem in Apocal. lib.* 1. *cap.* 7. Propterea facite differentiam inter ſpiritum groſ-

ſum

ſum & ſubtilem, inter purum & impurum. Spiritus noſter humidus eſt & calidus, Mercurius autem vulgi eſt frigidus & humidus, noſter enim igne liqueſcit, & ab eo eſt artis initium. *Idem*: Secretum uniuſcujuſque rei in una eſt aqua, & hæc aqua eſt ſuſceptibilis nutrimenti in hominibus & in aliis & in hac aqua eſt maximum ſecretum: aqua enim eſt quæ fit in tritico frumentum, & in oliva oleum, & in arboribus quibuſvis diverſi fructus,

Roſarius.

Pulvis aſcendens à fæcibus eſt cinis à cinere & terrâ ex extractus, ſublimatus, honoratus: quod verò remanet eſt cinis cinerum, cinis vituperatus, damnatus, fæx & ſcoria. *Idem*: Tres ſunt lapides, & tres ſales ſunt, ex quibus totum magiſterium conſiſtit, ſcilicet mineralis, plantalis, ſeu vegetabilis & animalis. Et ſunt tres aquæ, ſcilicet Solaris, Lunaris & Mercurialis. Mercurius eſt minera, Luna planta, quia recipit in ſe duos colores, albedinem & rubedinem; & Sol eſt animalis, quia recipit tria, ſcilicet conſtrictionem, albedinem & rubedinem, & vocatur animal magnum, & ſal ammoniacum fit ex eo. Luna vocatur planta, & ſal Alkali fit ex ea. Mercurius verò vocatur lapis mineralis, & fit ſal commune de eo.

Gratianus; De omnis re poteſt fieri cinis & de illo cinere poteſt fieri ſal, & de illo ſale fit aqua, & de illa aqua fit Mercurius, & de illo Mercurio, per diverſas operationes Sol.

Idem.

Argentum vivum eſt ſal commune; unde ſal commune aurum & argentum ſolvit, & auget in auro rubedinem & in argento albedinem, & mutat æs à corporalitate ad ſpiritualitatem, & cum ea re calcinantur corpora, unde lumen luminum. Si hoc ſal omnipotens Deus non creaſſet, non perficeretur Elixir, & vanum eſſet ſtudium Alchymicum, idem: radix artis eſt ſapo ſapientum, & eſt minera omnium ſalium, & dicitur ſal amarum, quia oritur de minera maris, & eſt acutior omnibus ſalibus in ſuo genere, quia eſt minera & cum eo calcinantur Corpora & ſpiritus, & cum eo fiunt reſolutiones & coagulatione Elixiris.

Avicenna.

Sales ſunt radices operis, idem, ſalia cujuſcunque generis ſint, noſtræ arti ſunt contraria, excepto ſale noſtræ Lunariæ, quod Lunaria noſtra reliquit ex corporibus ſolutis: hoc & Roſ. dicit. *Idem*: Sal metallorum dat ſolvere

vere Mercurium in aquam puram ſub fimo, & illud mixtum coagulatum erit perfecta Medicina. Omne ſal benè præparatum redit ad naturam ſalis Ammoniaci,& totum ſecretum eſt in ſale communi præparato: Vitriolum Romanum habet naturam Lapidis metallorum, & eſt calidum & ſiccum. Alumen videtur eſſe Mercurius coagulatus, ſed deficit à ſuo complemẽto, calidum & humidum, & dicitur compar unius, id eſt Mercurius. Qui ergò ſcit ſalem & ejus ſolutionem, ille ſcit ſecretum occultum antiquorum ſapientum; pone ergo tuam mentem ſuper ſalem, nec cogites de aliis; nam in ipſo ſolo occultatur ſcientia, & arcanum præcipuum, & ſecretiſſimum omnium antiquorum Philoſophorum.

VIII. De aqua ſeu Mercurio.

Aurel. Aug. lib. 1. *Chryſ.*

Sunt aliæ ex aliis quærendæ fontibus undæ
Iam, quibus ex ſeſe, nullâ vi, leniter aurum
Humeſcat, nullo alterius veniente liquore
Auxilio exterius, propriâ ſolvatur in undâ.
Nec maris immenſi reputes aut nubis aquoſæ

*Vel liquidi fontis ſimilem: quam quære-
re limpham
Inſtituis, neque enim, quod tu obſerva-
re memento,
Inficit illa, liquat aliquid cum ſpargi-
tur, aut id
Humectat, propius cui venerit, arida
namque
Pulveris hæc extra in ſpeciem ſe pro-
dit, at imis
Uvida contuſi liquat in penetralibus au-
ri.*

Bernhardus Trev.

Taceant qui aliam affirmant aquam à noſtra quæ permanens eſt, & nulli rei conjungitur niſi propriæ ſuæ naturæ, nihilque aliud madefacit præter id quod eſt unitatis propriæ ſuæ naturæ.

Roſarius.

Aqua eſt illa res, quæ dealbat & rubere facit aqua eſt quæ occidit, & vivificat, aqua eſt quæ comburit, & candidat, aqua eſt quæ diſſolvit & congelat, aqua eſt quæ putreſcit, & poſtea facit germinare novas & diverſas res. Unde fili moneo te, quòd totum intentum tuum ſit in decoctione aquæ, & ne tædeat te, ſi vis habere fructum, & non cures de aliis rebus vanis, niſi de

ſola aqua; coque ipſam paulatim putrefaciendo, donec mutetur de colore ad colorem perfectum, & cave ne in principio comburas ſuos flores, nec ſuam viriditatem, & noli citò perficere opus tuum, & nota quod janua tua ſit benè & firmiter clauſa, ut ille, qui eſt intus, evolare non poſſit, & Deo concedente, pervenies ita ad effectum. Natura facit ſuam operationem paulativè, ego volo quòd tu ita facias, ſecundùm naturam ſit tua imaginatio, de qua regenerentur corpora in viſceribus terræ, & ſimiliter, quo calore fiat decoctio eorum, an violento vel ſuavi.

Auctor conſilii conjugii Solis & Lunæ.

Aqua hæc ſola eſt aqua theſauri infiniti, & nulla aqua fit Elixir niſi iſta aqua olei rubei, quæ eſt aqua ſingularis, & nulla alia eſt ei ſimilis, quia nulla alia aqua totaliter congelatur. *Id.* Iſta aqua omnia facit ſcilicet per illam diſſolvitur, coagulatur & perficitur.

Dionyſ. Zacb. 2. part. op. ſ.

Materia noſtra comparari non poteſt metallis, quia congelata ſunt. Proinde ſciendum eſt, quando Mercurius noſter apparet ſimplex & labilis, ipſum Philoſophi lac vocarunt, cujus coagu-

lum appellant id, quod nos ſupra fermentum, venenum, & theriacam vocavimus, quia velut coagulum non differt à lacte, niſi paucâ decoctione, noſtrum coagulum etiam à noſtro Mercurio non differt, niſi per decoctionem, quam acquiſivit antea, hoc eſt magnum & ſupernaturale ſecretum, quia deficiunt in ea rationes humanæ, hoc eſt coagulum quod Hermes vocavit florem auri, de quo volunt intelligi, cum inquiunt: In coagulatione ſeu congelatione ſpiritus, facta eſt vera diſſolutio corporis, & è contra in diſſolutione corporis eſt facta vera congelatio ſpiritus, quia per ejus medium totum perficitur opus. Ut ait Senior: cum vidi noſtram aquam, (i. e. Mercurium noſtrum) per ſe coagulari, credidi firmiter noſtram ſcientiam eſſe veram.

Roſarius.

Philoſophi antiqui nullam aliam rem invenire potuerunt, quæ corporibus adhæret, niſi arg. viv. Philoſophicum, quoniam argentum vivum vulgare non adhæret corporibus, imò corpora adhærent ipſi arg. viv. & hoc verum eſt per experientiam, quia ſi conjungitur argentum vivum vulgi cum aliquo corpore, argentum vivum manet in natura propria aut recedit, & non vertit corpus in ſuam naturam, & ideò non adhæret corporibus, ſed corpora adhærent

rent ipſi; ſed argentum vivum occidentale prætulit ſe auro, & vicit illud, eſtque illud, quod occidit & vivere facit: ſcias quod arg. viv. coagulatum, mortificatum propriâ naturâ, eſt pater mirabilium omnium hujus magiſterii noſtri, & eſt ſpiritus & corpus, hoc eſt ſpirituale corpus, quia ſublimatione aſcendit. Prima materia metallorum non eſt Mercurius vulgi, ſed eſt vapor unctuoſus & humidus, nam ex humido fit Lapis mineralis, & ex unctuoſo fit corpus metallicum, in talem vaporem unctuoſum & humidum oportet ut corpora convertantur, & talis vapor dicitur Lapis in capitulis librorum notus.

IX. *De ſolutione.*

QUidam Philoſophi & imprimis Raymundus Lullius & Marſilius Ficinus tres tradunt ſolutiones precipuas, nempe primam crudi ſubjecti, ſecundam corporis phyſici, & tertiam in nutrimento operis ſive augmento, quas Riplæus diſtinguit in reſolutionem, ſolutionem, & diſſolutionem.

Roſarius.

Mercurius crudus diſſolvit corpora, & reducit in ea primam materiam ſuam ſive naturam: ſed Mercurius corporum

hoc facere non poteſt: hic autem propter cruditatem ſui ſulphuris, quod in prima terra alba habuit cum qua ex aqua clara factum eſt ab initio, hoc præſtat: quia illud crudum ſemper appetit corrodere, quòd ſuæ naturæ vicinius eſt, primò aurum, ſecundò argentum &c. ſed alter Mercurius, ex corporibus congelatus, hoc facere non poteſt, quia per congelationem illud crudum ſulphur, quod antea fuit in eo, eſt alteratum in natura; ideò non corrodit, ſicut primum; nec ſeratum aperit & ideò una vis non mittitur in aliam, ſed unumquódque per ſe manet: unde quidem fluctualiter ſunt conjuncta, ſed naturaliter ex utraque parte non ſunt ſerata, ſed cum arg. vivo crudo potes naturas reſerare & aperire, ut unaquæque res vicina ſit ſuæ naturæ adjuvamen, ideò ſi diſſolvit argentum, inveniet argenteam naturam: ſi aurum, auream: ſi plumbum, plumbeam &c. & per ipſorum ſulphur congelatur; nota duplex eſt ſolutio corporum, in Mercurium per Mercurium, & in aquam Mercurialem. Prima ſolutio requiritur ad particularia: ſecunda ad univerſalia. Prima ſolutio corporum in Mercurium non eſt niſi reſolutio, id eſt, quod per ſolam reſolutionem ſeratum aperitur, propter ingreſſum naturæ unius in aliam: & iſta reſolutio eſt in particularibus, ſecunda ſolutio eſt in aquam

Mercurialem, & fit univerſaliter: & illa fit non per ſolam diſſolutionem ſulphuris immaturi in Mercurium: ſed per putrefactionem corporis & ſpiritus in humido; cum putrefactione omnium naturarum ad invicem ligatarum eſt ſolutio & ſeparatio: & ſic partes ligatæ ab invicem ſeparantur, & unaquæque pars ab alia: & hoc fit per ſeparationem & ſolutionem elementorum, quæ in generatione Mercurii ſunt connexa, ſcilicet aquę & terrę & eædem partes, dum purgantur in natura, per converſionem conjunguntur, & plus ſe diligunt propter eorum mundificationem, quàm antea in natura: & hæc ſeparatio fieri non poteſt in corporibus, niſi per ſpiritum, ſic ars tranſcendit naturam in unâ viâ, licet artificialia benè ſubitò fiant, quæ tamen antea naturaliter prolixa erant.

Idem.

Nota quòd nullum argentum poteſt fieri, niſi prius omnia ſolvantur. Secundò, quòd nulla ſolutio debet fieri niſi in ſanguine proprio, vel appropriato: id eſt in aqua Mercurii, quæ dicitur aqua Draconis. Tertiò, quod illa aqua Draconis debet fieri per alembicum, ſine omni alia re addita: & quòd in faciendo ipſum eſt maximus fœtor. Quartò, quòd cum illa aqua poteſt ſolvi

amalgama, corpus & ſpiritus, cinabrium, & breviter omnia & ſingula, quæ ſunt de natura ipſius. Quintò, quòd illa aqua debet eſſe munda: ergò non debet fieri niſi de Dracone purgato: purgatur autem Draco ipſum ter elevando, & inde ipſum vivificando. Sextò quòd oportet, ut ſolutum putrefiat in calido & humido, id eſt in fimo equino, ex hac oritur una nigredo: Septimò, quòd coaguletur in ſicco ſolis in humido: id eſt in bal. o mariæ. Octavò, quòd tempus perfectionis eſt ad minimum unus annus, eſt tamen videre, quòd debet eſſe tempus fœtus humani in utero matris. Nonò, quòd Mercurius nullo modo interficitur, niſi cum odore perfecti, corporis rubei ad rubeum, & albi ad album & quod corpus poteſt dare pondus ſuo pendere remanente. Decimò quod omnes receptæ ſint ſpernendæ in arte. Undecimo quod rebus præparatis in vaſe poſitis erit ludus puerorum.

Bernhard. Trev. in ſua Epiſt.

Differt ſolvens à ſolvendo proportione & digeſtione, & non materiâ: quia præter ullam admixtionem natura aurum ex argento vivo mirabiliter ac ſimpliciter procreat. nam in vegetabilibus humor aquæ ſimplicis pro diſſolutione intrinſecâ ſumitur, ut res congelatæ dif-

diffundant in illam ſuos effectus, & rerum diſſolutio contingit cum aquarum congelatione & congelatio aquæ cum rerum diſſolutione & contra: ſic & eodem modo cum aqua minerali & ſuis ſpeciebus. Qui ergo novit artem & ſecretum diſſolutionis, pervenit quidem ad artis ſecretum, quod eſt ſpecies permiſcere, & naturas ex naturis extrahere, quæ in ipſis latent effectuosè. hujus decoctionis & ſolutionis metallorum via pauciſſimis nota eſt: quoniam ejus diſſolutionis cauſa eſt arg. vivi humiditas reſtricta denſitate homogeneâ terræ & contra: terræ frigiditas aqua ſibi homogenea, homogeneitate qualitatum permanente: ut eſt ſimplex ſiccum in eâ & duplex frigidum & ſimplex humidum ſub diſproportione immaturitatis ad anaticam proportionem maturi ſolis digeſti.

Semita ſemitæ.

Reductio corporis in arg. viv. eſt illud quod Philoſophi vocant ſolutionem, quæ eſt fundamentum artis, non eſt ſolutio aquæ nubis, ſed corporum in aquam limpidam converſio, ſicut glacies vertitur in aquam ex qua fuit.

X. De corpore, animâ, & ſpiritu, & ſpecierum rectificatione.

Morienus.

TRes ſpecies ſufficiunt ad totum magiſterium, ſcilicet fumus albus, id eſt vis quinta, ſcilicet aqua cœleſtis: & Leo viridis id eſt æs Hermetis: & aqua fœtida, quæ eſt mater omnium metallorum, ex quâ & per quam & cum quâ præparant Philoſophi Elixir, in principio & in fine, has igitur tres ſpecies ad ejus confectionem nemini detegas.

Treviſanus in ſua Epiſt.

Spiritus vitalis & anima fugitiva non ſunt diaphana, nec tranſparentia, nec ſicuti oculi lachryma clara, nec quivis ſpiritus diſſolvens: quam vis ſint ſibi invicem altiorum naturarum, ſecundum gradus ſuos, ut anima eſt altior ſpiritu crudo, cum ſint unius formæ, quia ut anima latet ſub ſpecie ſpiritus diſſoluti ante reinſpiſſationem (anima enim ut argentum vivum ex corpore extracta ſemper apparet) ſic poſt inſpiſſationem anima & ſpiritus latent ſub ſpecie corporis.

Semita ſemitæ.

Fermentum Philoſophi animam vocant, & hoc ideo, quia ſicut corpus humanum ſine anima nihil valet, imò eſt ſicut terra mortua: ſic & corpus immundum abſque ejus fermento id eſt animâ nihil valet.

Menabadus in Turba.

Omnis diſputatio Magiſterii Alchimici in hoc pendet, ut fiat Elixir ex corpore, animâ & ſpiritu conglutinatis; corpus quidem, quale ſit, nominatur, neſciri tamen poteſt qui veniat Elixiri utendum, ſpiritus ſignificatio nemini eſt incognita. Anima vero eſt ea, quæ vivificat, & dat eſſe corpori & ſpiritui, & fit anima ex corpore ipſo vivificato, hoc enim loco animam nihil aliud eſſe credimus, quàm corpus vivificatum, vivificatur autem ita, ut arg. viv. revertatur, quale fuit, priuſquam coagularetur. & hæc anima, ſi additur corpori & ſpiritui mortificatis, ita ut demum totum elixir vivum fiat: tunc demum credendum eſt, ſcopum Alchymicum attactum eſſe. Corpus autem vocatur terra, æs, plumbum, cinis, magneſia, calx, mater, clavis, virgo ſancta; Corona regis, Talek, Trames, vitrum, lignum

aureum, ſpiritus fulgoris, mare, ſal, urina, alumen, gumma Scotiæ, aqua ſulphuris, ſputum Lunæ, gumma alba &c. ſpiritus verò vocatur aqua, ſanguis colla auri, gumma rubea, oliva, gallus, taurus, aqua crocea, æs combuſtum & compoſitio &c. anima vocatur Rebis, aqua fœtida, mortui mundicia, ſanguis, aqua ſanguinis lapis animalis, lapis benedictus &c. mutua autem officia inter hæc tria ſunt, quia ſpiritus cuſtodit corpus, ne ab igne comburatur: & clarum corpus cuſtodit ſpiritum ne evolet ab igne: quia corpus eſt fixum, unde conſervat ſpiritum ne fugiat, & ſpiritus eſt incombuſtibilis: quare non ſinit corpus comburi, quia ſpiritus & corpus unum ſunt mediante animâ, quæ eſt apud ſpiritum & corpus; quod ſi animâ, quæ eſt apud ſpiritum & corpus, quod ſi anima non eſſet, tunc ſpiritus & corpus ſepararentur ab invicem, per ignem, ſed animâ adjunctâ ſpiritui & corpori, hoc totum non curat ignem, nec ullam rem Mundi.

Clangor Buccinæ.

Accipe quod deſcendit ad fundum vaſis, & ablue ipſum igne calido, uſque quo auferatur ejus nigredo, & recedat ejus ſpiſſitudo, & fac evolare ab eo additiones humiditatum, donec deveniat calx nimis alba, in qua non erit macula, tunc enim terra ad animam recipiendam

eſt

eſt habilis & pura: dealbatio enim eſt totius operis initium & fundamentum, nam tunc errare non potes in decoctione, quia poſt dealbationem uterque fugiens, ſcilicet anima id eſt Mercurius corporis: & ſpiritus id eſt Mercurius vivus terram in non fugientem vertunt & faciunt eam ſpiritualem, mundam à terreſtreitate, aëream & ſubtilem, & ſic ſpiritus & anima non uniuntur cum corpore vero modo, niſi in albo colore: quia tunc in albo colore ſeu dealbatione ipsâ omnes colores, qui hodie in Mundo excogitari poſſunt, apparent, & tunc firmantur, & in unum colorem albedinis conveniunt, colorum diverſitas non apparet, niſi in conjunctione animæ cum corpore, in unâ tantùm vice ignis in eo novat diverſos colores, anima eſt ſpiritus tingens, qui demum à corpore alterato ſuperatus eo gaudet, ipſo in corrupto facto: & ſic alter in alterum tranſit, & alter vim alterius recipit, Naturâ diſponente.

Ariſthenes in Turba exercit. 5.

Hoc omnium maximè hic animadvertendum eſt; quòd neque aqua maris ſimplex, ſola, neque æs ipſum ſolum, aliquid pro lapide Philoſ. facere poſſunt, vel ipſum Lapidem conſtituere; neque Lapis ipſe ſive Elixir vel ſolâ ſimplici

aquâ

aquâ vel ſolo ære conſtare poteſt, ſed utrumque i. e. aquam ſimplicem & ipſum æs conjungi oportent. Priuſquam verò conjungas, ſive commiſceas hæc ambo, ipſum æs ſcil. & aquam, vide ut utrumque nec crudum neque inrectificatum ſit, ſed ut aqua ipſa aliquoties deſtillata & tandem in ſtatum ſuum & deſcenſum reſtituta, ipſumque æs combuſtum, candidum & ſincerum omnino factum ſit. His ita præparatis ad Elixir procedi poteſt. Cum enim æs ipſum ſincerum non eſſet, terram quæ inde elicitum, crudam & inſinceram, imo forte nullam gigni certum foret. Ita & aqua, ſi munda & deſtillata non foret, terram lavare & abluere nequiret, ſordidum enim & atrum non ſordido vel atro, ſed puro, claro, & mundo dealbatur. mundificatis, igitur utriſque, tum æs ipſum in laminas tenuiſſimas productum diſcerptumque cum aqua commiſceatur.

Roſarius.

Terra calcinatur, aqua ſublimatur; terra manat deorſum, aqua aſcendit ſurſum: terra purgatur per calcinationem, aqua per ſublimationem: ambo per putrefactionem, aqua defendit terram, terra aquam ligat.

Ge-

Geber in lib. inveſtig. mag.

Habent hæc corpora humiditates ſuperfluas & ſulphureitatem aduſtibilem, nigredinem in ipſis admiſcendis generantem, ipſa prædicta corpora corrumpentem; habent enim terreſtreitatem immundam, fæculentam & combuſtibilem, nimis groſſam, ingreſſionem impedientem & fuſionem, iſta & talia ſunt ſuperflua, in talibus corporibus prædictis, quæ in ipſis noſtrâ experientiâ & inveſtigatione certâ & ingenioſâ ſunt inventa: & quia hæc ſuperflua accidentaliter ſupervenerunt his corporibus, & non radicaliter: ergò & ſpoliatio accidentalium poſſibilis. Oportet ergo nos cum igne artificiali his prædictis mundandis ſuperflua demere accidentia cuncta, ſolâ ſubſtantiâ argenti vivi & ſulphuris radicalis permanente, & hæc eſt integra præparatio imperfectorum, & depuratio perfecta, melioratio, depuratio, & ſubtiliatio horum vel hujus ſubſtantiæ puræ remanentis fit multis modis, ſecundum quod indiget Elixir præparationis.

Ripleus.

Aquam, quâvis revivificare Lapidem, vide ut deſtilles, antequam cum eâ opereris, ſæpius per ſe ſolummodo, ex

viſu

viſu poteris cognoſcere, quum erit purgata à fæculentis fæcibus, quam aliqui poſſunt multiplicare cum Saturno & aliis ſubſtantiis, quas rejicimus.

XI. *De conjunctione.*

Auctor. Conſilii Conjugii.

OLeum ſulphuris cum arg. vivo, quod de candido corpore habet eſſe, deſponſandum erit ex aqua æris, candor & ſerenitas arg. vivi, quæ album efficit, eſt ipſa rubea, poſt candorem namque rubeſcit, hoc itaq; oleum & arg. viv. in unum redacta, unum quiddam conſtituunt, unde vetus & commune prov. & eſt ſermo ſapientis: Servus rubicundus cãdidam duxit uxorem, & per conceptionem ſeminis gravida, peperit nobis filium, qui omnes ſuos progenitores, id eſt Solem & Lunam ſuperat. Cùm igitur arg. vivum ex candido corpore procedit, oleo id eſt ſulphuri aſſociatur arg. viv. de argento ſociatur oleo, id eſt pinguedini ſolari, quæ maſcula eſt, & illa fœmina.

Margarita pretioſa. Cap. 9.

Fermentum dicitur quaſi ferventum à fervore, quia fervere, ebullire & creſcere facit paſtam, & habet virtutem victricem & dominantem, occultam & corrumpentem; & ſubſtantiam, & virtutem totius paſtæ, cui admiſcetur in

ſui ſimilitudinem converſam. Cùm igitur corpus, quod eſt occultum in arg. vivo Philoſophorum per Alchemiam generato, habeat ſubſtantiam ſimilem & unam per totum, convertit in ſui ſimilitudinem totum illud arg. viv. dictum, cui miſcetur per voluntatem artificis, & facit ipſum fervere, ebullire & excreſcere, ſecundùm ſimilitudinem quandam, propter virtutem ſuam occultam dominantem corrumpit, i. e. mortificat ipſum rectificando, & reducendo ad ſtatum digniorem & meliorem, ideò dignè nominatum eſt illud corpus fermentum. Arg. vivum enim per ſe nihil valet, cùm autem cum illo ſuo corpore occulto mortificatur, retinetur eum eo ſēper incorruptum in æternum, & cùm corpus ſit de natura Solis, oportet quòd totum id convertat ad naturam Solis, & totum fiat fermentum, convertens omnia in Solem, unde Hermes: fermentum paſtæ non fit niſi ex ſua natura, ita & ſimiliter fermentum auri. Hoc fermentum eſt occultum ſenſui, ſed intellectui, & rationi manifeſtum, & eſt corpus retinens animam, neque eſt intelligendum quòd hoc corpus ſit aliquid novi & extranei, quod addatur, niſi quia quod erat occultum, fit manifeſtum & è converſo, unde dicitur in Turba; corpus habet majorem vim fratribus ſuis, id eſt, animâ & ſpiritu; paſta abſque fermento ſuo intrinſeco

oc-

occulto, & non cum alieno fermentari non poteſt: ita ſine hoc corpore occulto ſpirituali Lapis non poteſt fermentari nec perfici, nec compleri, quamvis in rei veritate ipſe Lapis ſecundùm ſe totum, & ſecundùm corpus, & ſecundùm animam, & ſecundùm ſpiritum ſemper ſit idem. Unde Morienus dicit: quòd ad effectum non pervenitur, donec Sol & Luna in unum corpus redigantur.

Conſilium Conij.

Accipite arg. viv. id eſt aquam compoſitam, & congelate eam in corpore magneſiæ, id eſt, in terra aquæ divinæ, & fiet album & rubeum, i. e. aurum & argentum, & dicitur Lapis magneſiæ, quia ſecundum Pythagoram eſt res illa conſequens ſocium ſuum, ſicut magnes ferrum, quoniam ſicut propinquitas magnetis eſt cum ferro, ſic conſimilis eſt aquæ cum terra, & Hermes ait: Quòd azoth, i. e. arg. viv. & ignis putredinis, qui eſt ignis ſapientum, Latonem, i. e. æs abluunt atque mundificant, & ejus obſcuritatem abeo penitus eripiunt, quòd ſi ignis modum recte diſpoſueris, Azoth & ignis in hac diſpoſitione hujus rei tibi ſufficiunt. Dealbate Latonem, i.e. æs, & non poteſt dealbari niſi ſolvatur in Azoth, & libros rumpite, ne corda veſtra rumpantur.

Laton quamvis prius ſit rubeus, tamen inutilis, ſed ſi poſt rubedinem in album variatur, valebit. Et Morienus: quum Laton noſter id eſt æs cum Alkibric comburitur, id eſt cum ſulphure noſtro humido albo incombuſtibili, & mollities Azoth ſuper ipſum funditur, ita ut fervor id eſt pinguedo calida ejus tollatur, tunc omnis obſcuritas atque nigredo ab illo auferetur.

Dionyſ. Zach.

Videamus, quidnam Philoſophi intelligant per hunc terminum, ſcilicet fermentum, dupliciter ſe dicunt uſurpaſſe: priori ſignificatione, dum faciunt comparationem operis noſtri Divini ad metalla: non aliter quàm videmus parum fermenti panis multam farinam in ſuam naturam & paſtam convertere: ſimiliter divinum opus noſtrum convertit metalla ad ſuam naturam: & quia eſt aurum, illa tranſmutat etiam in aurum. verum quod rarò in hanc ſignificationem aſſumpſerunt (in qua nulla difficultas) ad ſecundam veniamus, in qua ſcientiæ noſtræ maxima difficultas latet. per fermentum itaque ſecundo modo verum corpus & veram materiam intelligunt, quæ divinum opus noſtrum perficit, quod quidem oculis eſt incognitum, & intellectu ſolo perceptibile quid. Etenim

ab initio materia noſtra apparet volatilis, quam nos opottet conjungere proprio ſuo corpori, ut hoc medio retineat animam, quæ medio iſtius jam factæ conjunctionis, medianteq; ſpiritu, ſuas divinas operationes demonſtrat in opere noſtro divino, ut ſcriptum legitur in Turba Philoſophorum in hunc nempe modum; Corpus habet plus virium, quam duo fratres ejns, quos vocant ſpiritum & animam, corpus vocarunt omne ſimplex, quod ex propriâ ſuâ Naturâ poteſt ignem ſuſtinere, præter ullam diminutionem: hoc aliter fixum vocant. animam appellarunt omne ſimplex per ſe volatile, poteſtatem habens ſecus rapiendi corpus ac deſerendi ab igne; hoc alio nomine ſeu vocabulo nominarunt volatile, ſpiritum eſſe dicunt id, quod poteſtatem habet retinendi corpus & animam: iſtaque duo ſimul adeò conjungendi, ut non poſſint amplius ſeparari, ſive perfecta ſint aut imperfecta, quamvis in opere noſtro divino ab initio nihil intrat novi, (puto poſt primam præparationem) nec in operis medio, neque in fine, verum Philoſophi, diverſis reſpectibus & conſiderationibus, rem unam & eandem vocarunt corpus, animam & ſpiritum; primò cum materia noſtra eſſet volatilis, vocaverunt animam, quia ſecum deferebat corpus poſteaquàm id quod occultum erat manifeſtum eſt in noſtrâ decoctione

ne, tum demum corpus vires ſuas palam fecit, mediante ſpiritu, hoc eſt, animam retinuit, hanc ad propriam naturam ſuam reducendo (id eſt in aurum) eamque ſua fixavit potentia per auxilium noſtræ artis. Hoc ipſo declaratur exactè quod Hermes ſcripſit, nullam tincturam fieri citra lapidem rubeum. *Roſinus:* verus ſol noſter apparet albus & imperfectus in noſtra decoctione, & eſt perfectus in rubeo ſuo colore, quamvis totum nihil ſit aliud niſi arg. vi v. Philoſophor.

Treviſanus.

Conſiderare poteris, in hac arte non eſſe niſi duas materias ſpermaticas, unius & ejusdem radicis, ſubſtantiæ, & eſſèntiæ, ſcilicet Mercurialis ſolius viſcoſæ & ſiccæ, quæ nulli rei jungitur in hoc Mundo præterquam corpori.

Morſolcus in Turba.

Omne corpus diſſolvitur cum ſpiritu, cui mixtum eſt, & procul dubio fit ſpirituale, & omnis ſpiritus à corpore alteratur & coloratur, in quibus conſiſtit color tingens, & contra ignem conſtans. benedictum ergo ſit nomen illius, qui electos ſuos docuit corpus in ſpiritum vertere.

Afri-

Africanus ibidem.

Oportet nos duo conjungere, quam conjunctionem Philoſophi comparaverunt conjugibus, ex quorum amplexu reſultat aqua aurea.

Roſarius.

Conjunge filium tuum Gabricum cum ſuâ ſorore Beyâ, quæ eſt puella fulgida, ſuavis & tenera, Gabricus eſt maſculus & Beya fæmina, quæ ipſi dat omne quod ex ipſa eſt, non aſsumas ipſam naturam niſi puram, mundam, crudam, amænam, terream & rectam, ſi verò ſecus feceris, non proderit quicquam. vide nil contrarium intret cum Lapide noſtro. Beya aſcendit ſuper Gabricum & includit eum in ſuo utero, quod nil penitus videri poteſt de eo, & in partes indiviſibiles dividit ipſum.

Treviſanus.

Poſt conjunctionem demum dicitur prima materia, & non aliter.

Conſilium Conjugii.

Aſſiduus (qui eſt Alphidius) Philoſophus omnia inveſtigans dicit: duos inveni ſubſtantias, ſcilicet agentem

&

& patientem, & ecce agens unum ubique, patiens verò plura, ex quo notavi, quod in hoc opere accepto uno duo fiant; ſcilicet maſculus, & fœmina: porro maſculus ſingularis, fœmina verò pluralis exiſtit. & nota, quod duplex eſt pondus artis, ſcilicet commune, in quo non eſt diverſitas, ſed novem & pars decima. nota de pondere imbibitionis quot ſcilicet ignis poteſt imbibere partes, quod Natura ſcit melius quam artifex, quia natura ſimul imbibit, nec fit manuum contrectatio, ſed ignis & Azoth ut Aſſiduus dixit. Aliud eſt pondus ſpirituale ſecundi operis, & illud eſt diverſum ſecundum diverſos. Athomus in Turba vult tertiam partem ignis, & duas terræ commaſsari. Bonellus in Turba moderate dicit: cavete humorem multiplicare, nec ponatis ipſum ſiccum, ſed facite ut maſsam fortem, quod ſi aquæ maſsam multiplicaveritis non continebit eam, id eſt non bene exſiccabitur nec cito: & ſi nimis ſiccaveritis non conjungetur nec coquetur. Morienus verò quartam partem vult ignis & tres terræ. Hermes vero, cui nemo in arte ſimilis, quartam partem docet addere, non ſimul, ſed ex quarto ad quartum, id eſt in 4. diebus pro qualibet quartâ.

Roſarius.

Spiritus non conjunguntur corporibus, donec perfectè fuerint depurati, & in horâ conjunctionis maxima apparent miracula. tunc enim corpus imperfectum coloratione firmâ coloratur fermento mediante, quod fermentum eſt anima corporis imperfecti, & ſpiritus mediante anima cum corpore conjungitur & ligatur, & cum ea ſimul in colorem fermenti convertitur, & fit unum cum eis.

Idem ex Lucidario Arnoldi.

Dixerunt aliqui, quòd in opère Lapidis apparent omne colores, qui in toto Mundo excogitari poſſunt hoc eſt ſophiſma Philoſophorum, cùm non appareant niſi 4. principales, & quia ex eis omnes alii trahunt originem, ideò dixerunt: omnes colores, etſi tibi non apparent omnes colores, non cures, dummodò poſſis elementa ſegregare, nam citrinitas choleram ſignificat aduſtam & ignem, rubedo ſangvinem & aerem, albedo phlegma & aquam, nigredo melancholiam & terram.

Arnoldus in ſemita ſemitæ.

Noſtrum magiſterium eſt ex uno, & cum uno fit, & eſt ex quatuor, & ex tribus unum, ſcias quòd Philoſophi multiplicaverunt nomina mixti Lapidis, & hoc, ut abſconderent eum, & dixerunt Lapidem mixtum corporeum & ſpiritualem, & non ſunt mentiti, prout ſapiens intelligere poteſt, nam ibi eſt corpus & ſpiritus, & corpus tantùm eſt ſpirituale in ſolutione, & ſpiritus factus eſt corporalis in conjunctione ſpiritus cum corpore, quod quidam fermentum, quidam æs vocant, Morienus dicit, ſcientia noſtri magiſterii aſſimilatur ordini in creatione hominis, nam primò fit coitus, ſecundò conceptio, tertiò inprægnatio, quartò ortus, quintò nutrimentum ſeu nutritio, hæc verba faciam te intelligere: quoniam ſperma noſtrum, quod eſt argentum vivum, cùm terræ conjungitur, ſcilicet corpori imperfecto, quæ terra mater dicitur; quia terra eſt mater omnium elementorum, tunc coitus dicitur. Cumque terra aliquantulum ſecum retinet argenti vivi, tunc dicitur conceptio, cum maſculus agit in fæminam, id eſt, argentum vivum in terram, & hoc eſt quod Philoſophi dixerunt, quòd magiſterium noſtrum non eſt

niſi maſculus & fæmina, & ipſorum conjunctio. Adveniente ergò aquâ, id eſt, cùm argentum vivum in terrâ creſcit, & augmentatur, quia terra dealbatur, tunc impregnatio vocatur. Deinde fermentum coagulatur, id eſt, conjungitur cum corpore imperfecto præparato, ut dictum eſt, quouſque fiant unum colore & aſpectu, & tunc dicitur ortus: quia tunc natus eſt Lapis noſter, qui vocatur Rex à Philoſophis, ut dicitur in Turba Philoſophorum, honorate Regem ab igne venientem &c. ſcilicet ipſum alimentando, quouſquead perfectam veniat ætatem, cujus pater eſt Sol, mater verò Luna, Luna pro corpore imperfecto accipiatur, Sol verò pro corpore perfecto. Quintò & ultimò ſequitur alimentum, quia quantò magis nutritur, tantò magis augmentatur, nutritur autem lacte, id eſt ſpermate ſuo, ex quo fuit ab initio.

XII.

XII. *De effectibus Panacææ, ſeu Elixiris Philoſophorum.*

1. Ad corpus humanum.

Dionyſ. Zach.

SUmatur pondere grani unius poſt exitum Regis, & albo vino diſſolvatur, in argenteo vaſe, tingetur vinum citrino colore, quod ægris adminiſtretur paulò poſt mediam noctem, uno die ſanabitur, ſi morbus ſit unius menſis, ſi fuerit unius anni infra duodecim dies, vel infra menſem, ubi valdè diuturnus morbus eſſet futuros; ad conſervandam ſanitatem ſumendum ex eo parum ſingulis annis bis, ſub initium veris & autumni, hoc medio ſanè vivitur & alacriter, uſque ad prædeſtinatum vitæ terminum, Deo dante, cui laus ſit honor, & gloria, nunc ſemper, in æternum.

Aurora conſurgens, & Clangor Buccinæ.

Antiqui ſapientes quatuor principales effectus ſeu virtutes, in hac glorioſa theſauraria, conſolatrice, & adjutrice ſcientia repererunt. 1. Corpus humanum à multis infirmitatibus ſanare. 2. Corpora imperfecta metallica

reſtaurare. 3. Lapides ignobiles in gemmas quaſdam precioſas traſmutare. 4. Omne vitrum ductile facere ſive malleabile.

De primo conſenſerunt omnes Philoſophi, quòd ſi Lapis hæmatites perfectè rubificatus fuerit, non ſolum facit miracula in corporibus ſolidis: ſed etiam in corpore humano, de quo non eſt dubium, nam omnem infirmitatem curat intra ſumendo, extra ſanat ungendo. Si enim datum fuerit de eo in aquâ vel vino tepido paraliticis, phreneticis, hydropicis, leproſis, curat eos: guttam roſaceam elidit ſæpè ungendo. Paſſio etiam cardiaca, ethica, iliaca, colica, ićteritia, & morbus Ægidii cum epilepſia, & omnes ſpecies febrium per eam curantur ſumendo. Plærumque arthritica per eum curatur ungendo: & quicquid eſt in ægroto ſtomacho, hoc tollit: & omnem fluxum humorum peccantium ſtringit & conſumit, potando vel ungendo, omnemque melancholiam, ſive mentis mœſtitiam, jejuno ſtomacho ſumpta, evellit; & etiam infirmorum oculorum optima eſt ſanatrix hæc medicina, nam omnem fluxum lachrymarum ſtringit, lippoſitatem attenuat, ruborem depellit, pellem vel tunicam molliſicando demit granum, tela, albugo & hugo, cornu, ungula, catharacta, inverſio palpebrarum, æſtus,

tene-

tenebræ, ac oculorum inflaturæ, per medicinam hanc philoſophicam faciliimè curantur. Cor & ſpiritualia confortat potando, dolorem capitis mitigat, temporibus inungendo: præbet etiam ſurdis auditum, ac omni dolori aurium ſuccurrit per inflaturas: nervos compactos rectificat ungendo: dentes corroſos reſtaurat lavando, fœtorem anhelitus dulcorat: ſanantur etiam per eam omnia genera apoſtematum, ungendo, aut emplaſtrando, aut pulverem ſiccum intromittendo, ulcera, vulnera, cancri: fiſtulæ, noli me tangere, anthraces, ſerpigines, impetigines, atraciones, ſcabies, pruritus, & tinea per eam ſanantur, cicatrices per eam planantur, ita ut caro nova regeneretur; vinum corruptum & acidum, ſi ei permiſcetur, reparatur: calculus inde ſolvitur, ſi bibatur: venenum expellit ſumendo, occiduntur & vermes, ſi in pulvere ſumatur: capilli ſubvilloſi per eam ungendo removentur, rugas, & omnes maculas in facie delet ungendo, & ſpondet faciem juvenilem mulieribus, in partu ſumpta auxiliatur, fœtum mortuum emplaſtrando educit, urinam provocat, coitum excitat, & auget, ebrietatem prohibet, memoriam inducit, humidum radicale augmentat, naturā vigorat nec non alia bona multa corpori humano mi-

niſtrat, quia hæc medicina eſt ſuper omnes medicinas Hypocratis, Galeni, Conſtantini, Alexandri, Avicennæ, & aliorum Doctorum artis Medicinæ, præſtantior in odore, ſapore, & effectu. Et eſt notandum, quod hæc medicina ſemper medicinæ apotheticæ, ad morbum deputatæ, eſt permiſcenda.

Treviſanus in præf. ſui lib. de Alch.

Non tædere debet laborum vel pœnitere quenquam, qui credit his evitari poſſe paupertatem intolerabilem, & morbos omnes animi & corporis, ut ego ipſe expertus ſum, in multis leproſis, caducis, hydropicis, hecticis, apoplecticis, iliacis, dæmoniacis, inſenſatis, furibundis, & aliis quam plurimis.

Roſarius.

In hoc (ſcil. lapide rubeo) completur pretioſum Dei donum, quod eſt ſuper omne Mundi ſcientiarum arcanum, & incomparabilis theſaurus theſaurorum. Quia ut dicit Plato: qui habet iſtud Dei donum, Mundi habet Dominium, quoniam ad finem divitiarum pervenit, & Naturæ vinculum confregit. Non tamen ex eo quod habet poteſtatem convertendi omnia corpora imperfecta in

po-

puriſſimum ſolem & lunam, ſed magis ex eo, quod hominem, & quodlibet animal præſervat in conſervatione ſanitatis. Lamina verò cryſtallina quæ eſt Elixir album, ſi detur inquantum granum ſinapis febricitanti, curat ipſum. Etiam leproſus, ſi per quatuor anni tempora de eâdem laminâ purgatus fuerit, cum pulvere rubeo, unde fit ſol, bis in anno, in Martio & Septembri, curatur, & uterque pulvis albus & rubeus ſanat ſchiaticos in periculo mortis. Sanat etiam paralyſin. Item ſi pulvis teneatur ad nares in partu laborantium, liberantur, hoc dicit Hermes. Geber quoque dicit, quod Elixir rubeum curat omnes infirmitates chronicas, de quibus Medici deſperaverunt, & facit hominem juveneſcere ut aquila, & per 500. annos vivere & amplius, ut aliqui Philoſophi vixerunt, qui uſu fuerunt eo tribus vicibus in hebdomade, quantum granum ſinapis. Quare nota, quod omnes infirmitates, quæ à vertice capitis uſque ad plantam pedis generantur, ſi fuerint unius menſis: in die, ſi unius anni: in duodecim diebus, ſi ex longo tempore: in menſe curantur, quia ſicut curat omnia metalla infecta ab omni infirmitate, ſic & humana corpora. Quapropter noſter benedictus Lapis non immeritò Thyriacus major, tam corporum humanorum, quam metallicorum dici-

tur; de quo Hermes Rex Græcorum & pater Philoſophorum ait: ſi de Elixir noſtro omni die uſque ad ſeptem dies ſumpſeris pondus carrobiarum, capilli tui cani de capite tuo cadent, & renaſcentur nigri, & ita de ſene fies juvenis & fortis. Arnoldus dicit: Hic Lapis noſter virtutem habet efficacem omnem ſanandi infirmitatem, ſuper omnes alias Medicinas Medicorum. Nam animum lætificat, virtutem augmentat, juventutem conſervat, & removet ſenectutem, non enim permittit ſanguinem putrefieri, nec phlegma ſuperdominari, nec choleram aduri, nec melancholiam ſuperexaltari; imò ſanguinem ſupra modum multiplicat, contenta in ſpiritualibus purgat, & omnia corporea membra efficaciter reſtaurat, & à læſione cuſtodit, & generaliter; omnes tam calidas, quàm frigidas, tam ſiccas quàm humidas infirmitates arctiſſimè ſanat, præ omnibus aliis Medicinis Medicorum, quoniam ſi ægritudo fuerit unius anni, ſanat in 12. diebus, ſi verò antiqua fuerit ex multo tempore, ſanabit in uno menſe, & breviter; omnes malos expellit humores, bonoſque inducit: confert amorem & honorem ipſum poſſidentibus & geſtantibus ſeu deferentibus, ſecuritatem, & audaciam, & in prælio victoriam; & in hoc completur ſecretum Naturę maximum, quod eſt ſuper omne precium

pre-

precioſiſſimum ſecretum, theſaurus incomparabilis, & precioſiſſimus, quem habentibus Deus in ſuâ mente recondat, ne inſipientibus patefiat, amen dicat omnis vivens.

Iſacus Holl. in opere Sat.

Lapis iſte eſt adeò mirificè dulcis, ut omne mel & saccharum, cum illo æquiparata, tanquam fel inveniantur, & ſi homo quiſpiam veneni, totius naturæ rerum peſſimi, integram libram in corpore haberet, ac in ipſa horâ unam drachmam hujus Medicin e in vino tepido imbiberet, iſte nihil damni à veneno ſentiret. Item ſi quis eo utitur quotidiè magnitudine grani milii inſumendo, per novem dies continuos, illum ajo animo, ac omni ſenſuum habitu tam alteratum iri, ac ſi revera viveret in paradiſo.

Aurora Conſurus.

Leproſis immundiſſimis dabis hunc pulverem in potu tepido, qui mox eant cubitum, & ſudario aliquo cooperiantur, citiſſimè ſanabuntur, ita ut non ſuper terram, ſed ſuper pennas ventorum ambulare videantur.

2. Uſus projectionis ad metalla.

Dionyſ. Zach.

Regis noſtri multiplicati viribus, & cibis refecti uncia una projiciatur ſuper uncias 4. auri puri purèque liquati, fiet inde materia frangibilis, quæ pulveriſata coquatur in monte clauſo, inſultus poſtremi calore, vaſe etiam admodum ſtrictè obturato, ſpacio 3. dierum: hujus pulveris uncia una projiciatur, ſuper 25. marcas argenti vel cupri, vel ſuper 18. marcas plumbi vel ſtanni, vel ſuper 15. marcas arg. vivi communis in crucibulo calefacti, vel plumbo congelati; materia mox ſpumâ craſſiore contegetur, operatione completâ crepitus fiet, ac ſi crucibulum frangeretur, tandem liquefiat hæc materia, & erit in aurum converſa. Verùm ſi dictum pondus obſervatum non fuerit, nec materia priore ſuo colore mutata :: quapropter eſſet in cineritio magno fulminanda ſine plumbo, ut horarum trium ſpacio materia, quæ non erit tranſmutata, conſumatur; reliquum in fundo purum eſt cimento regali ſex horis latius purgandum, hâc viâ totum habebitur aurum, operâ magni Regis noſtri converſum, ſimile minerali cuivis & æquipollens. Et hæc eſt

via, quam docet Raym. in ſuo codicillo, quod ad projectionem attinet.

N.B. Quod hîc, & apud omnes Philoſophos, nullus certus numerus,& vis lapidis præſcribatur, nam tingit multo plus, vel minus, prout ſubtiliter confectus erit, ut mox audies.

Arnoldus in ſui Roſar. par. 2. cap. 32.

Quia grave eſt 1000000. partes ſimul fundere, hoc modo facies. Rec. 100. partes Mercurij ſale & aceto abluti, & pone in crucibulo ſuper ignem. Cum ceperit fervere, pone unam partem tui Elixiris, dicto modo pręparati, ſuper iſta 100. partes, & fiet totum Medicina ſuper alium Merc. præp ſeu ablut. Medicinæ hujus congelatæ unam partem iterum ſuper 100. partes Mercurii abl. in crucibulo ferventis ad ignem, & fiet totum Medicina. Hujus Medicinæ ultimò congelatæ unam partem ſuper 100. partes Merc. abluti, & fiet totum Sol & Luna in omni judicio, ſecundum quod primum fuerit Elixir rubeum vel album ſubtiliter præparatum, &, ut dictum eſt, compoſitum.

Sic etiam Baſilius Valentinus,& multi alii modum projectionem faciendi deſcribunt, ſicut ipſi manibus ſuis fecerunt, & omne genus metallicum imperfectum in perfectiſſimum aurum & argentum, pro lubitu ſuo tranſmutarunt,

runt, quin & non nulli mali, divino tamen hoc pulvere non ex Dei benedictione, ſed indignè ſibi comparato, mirabilem hanc metamorphoſin verificârunt, ut Theobaldus ab Hoghelande peſſimi cujuſdam mentionem facit, qui monachum lapidem hunc poſſidentem trucidavit, & pulverem Phil. apud illum repertum, pro ſuo diverſis Principibus & Magnatibus oſtendit, & mille impoſturis, ſub falſo ſcientiæ nomino homines illuſit, hocque pro certo ſic factum eſt, ut Theobaldus narrat, præterquam quod non duo, ſed tres iſtorum, omnium bipedum nequiſſimorum conſortum fuerunt, quorum ſceleroſis manibus miſer iſte monachus in Helvetiâ periit. Horum præcipuus, & auctor iſtius homicidii nominatus fuit Hinderhoferus, qui in Sveciâ, Livoniâ, Curlandiâ & in aliis locis non ignotus eſt, ob impoſturas ſuas nam pulvere prædicto reverâ tinxit, & metalla imperfecta ſcil. plumbum, æs &c. In optimum aurum, minimâ pulveris portiunculâ transformavit, cum omnibus perfectionis requiſitis diſcriminibus, coloris, ponderis, puritatis, fixionis, extenſionis, probationis examinis cinericii, æmenti, ignitionis fuſionis, ſeu affuſionis aquæ fortis & regis, ſuper vapores acutorum expoſitionis, arg. vivi vulgaris amicabilis ſuſceptionis, ſulphuris adurentis mixtionis,

nis, calcinationis, & reductionis reiterationis. Sicut ego cum quibuſdam locutus ſum, iiſque valde hujus rei peritis, in quorum præſentia talis tranſformatio facta eſt, ſicque multos Magnates non ſolùm in fidem, ſed & magnam admirationem rapuit, promittens ſimul, ſe illos artem docturum (quam tamen ipſe neſcivit, nec diutius tingere potuit, quam exiguum illud pulveris duravit) ſi ſufficientem auri copiam operi neceſſariam impenderent, qui etiam ob ſpem ſuam promptiſſime aurum deprompſerunt, id verò omne illicò cum artifice evanuit.

5. De uſu Medicinæ ad gemmas, & margaritas, &c.

ISTius rei teſtimonium perhibent Raymundus Lullius, Auctor Auroræ conſurgentis, Clangoris Buccinæ, Dionyſius Zacharius & alii, quod rubea Medicina ex cryſtallo facit præſtantiſſimum rubinum, ut ex aliis ignobilibus gemmis; cum alba verò poſſunt adamantes, unioneſque parari, vel è parvis eorum pro lubitu majores fieri confici quoque & componi arte hac poſsunt ſmaragdi, ſaphiri, Chryſoliti, Berylli & alii, ita tamen ut appropriati colores adhibeantur, nam Medicina liquat,

de-

demollit & aperit gemmas, & inducit colorem, & poſtea iterum claudit, & locat in omnes proprietates naturalium gemmarum pretioſiſſimarum, reddit quoque ſimplex vitrum malleabile, ut Philoſophi teſtantur,& Lullius ejusmodi confectiones, in theorica & praxi ſui lapidarii tradit.

4. Operatio & vis Lapidis in plantariis.

Theophraſtus de hiſtoria plantar. lib. 2. cap. 1.

ARborum & plantarum generationes factitantur aut ſponte naturali, aut ſemine,aut radice,aut avulſione, aut ramo,aut ſurculo, aut ipſo trunco, aut etiã ligno minutatim conciſo,i liſq; ſæpe morbi accidunt, aut communes vel privati, quibus intereunt, quibus ſanè medetur Medicina illa, omnes enim plantas, arbores, frutices, ſuffrutices & herbas, tempore veris, magno ac miro ſuo calore vivificat, illarumque vim genitalem corroborat & excitat. Nam ſi illius Medicinæ in aqua diſſolutæ quantitatem aliquam in cor, ſeu centrum trunci vitis injeceris, flores & folia naſcentur, fructumque menſe Majo producet: ſic in cæteris plantis; propterea quod nihil aliud eſt quã calor veluti naturalis infixus ſuo humido radicali.

Ii. nota ex his, quod tali modo iſta divina Medicina ſeipsā demonſtrat & oſtendit, quaſi merum Solem, & verum Solis filium, dum eundem calorem naturalem vivificantem, tali rei vegetabili inſtillat, idque prorſus concentratim, quod radii Solis faciunt ſparſim, ideoque eorum operatio lentior exiſtit. Sic merito Philoſophi Lapidem hunc ſuum mineralem, animalem & vegetabilem vocarunt; quia in hæc tria Regina ſcilicet animale, vegetale, & minerale, mirandam vim habet & exercet.

XIII. *De quibuſdam compendiis accurtatoriis, in arte Chemica.*

Roſarius ex epiſtola Lullii ad Rupert. Reg Franciæ ſcriptâ.

EX plumbo Philoſophorum extrahitur quoddam oleum aurei coloris, vel quaſi, cum quo, ſi Lapidem mineralem, vegetabilem, vel animalem, vel mixtum, poſt fixionem primam ſublimaveris, tribus aut quatuor vicibus, excuſabit te ab omni labore ſolutionum & coagulationum, ratio eſt, quia hoc eſt occultum, quod facit Medicinam penetrabilem, amicabilem & conjungibilem omnibus, & augmentabit ejus effectum ultra modum, ſic quod in Mundo non eſt ſecretius, unde mirabilia dico, quæ omnibus antiquis Philo-

ſo-

ſophis incredibilia forent, ſcilicet quod ſciveris oleum hoc bene ab aqueitate ſeparare, & laboraveris in modo mixtionis jam dicto, poteris in 30. diebus Lapidem componere, hoc autem non eſt neceſſarium per ſe, quoniam ſolutiones, & coagulationes illius (ut dictum eſt) citò fiunt, tamen ſi fieret ſublimatio illius, credo tincturam Lapidis multum ampliari, elige ergo ex his intentum tuum.

Riplæus multoties repetit hoc: de terrâ non eſt curandum, dummodo ſit fixa.

Iſac. Holl. op. min. part. 2. cap. 31.

INtelliges, veteres variis modis Lapidem ſuum confeciſſe, ac in fine omnia proba erant, ſed poſteri multas alias rationes adinvenere ad artem abbreviandam, ut aquâ forti variis modis efficiendâ, quæ miraculoſæ videntur propter miracula, quæ aquis fortibus fiunt. ibid. cap. 17. ex omnibus metallis oleum elici poteſt, abſque elementorum ſeparatione, ſine ullâ ablutione aut mundificatione, ſed aquis fortibus fieri debet, ac fermentum ei adhibendum eſt, qui oleum ex imperfectis corporibus vult conficere, multi ſunt ac varii modi olei conficiendi, ſuntque reperti brevitatis temporis gratiâ; quia tempus operum magnorum expectare non poterant, ut cito lucro potirentur. Ibid.

cap.

cap. 48. Omnes tuas aquas fortes, quibus uti in arte vis, rectifica, quamvis id ſigillatim non ſemper doceatur, ita opus tuum immundum non fit, hæc una ratio eſt; altera ratio eſt, cùm aqua fortis non eſt rectificata in balneo, non poteſt omnes ſpiritus metallorum in ſe attrahere, fæces enim aquarum fortium impediunt, ac corrumpunt, atque immundum reddunt, ibidem cap. 52. Ex omnibus metallis ſal elici poteſt, ac omne ſal metalli eſt Elixir: in ſale metalli elementum terræ latet, ac elementum ignis, ignis & terra ſunt utraque extrema elementa, aqua & aër media: duo illa extrema ſunt fixa videlicet ignis & terra; duo media ſcilicet aqua & aer volatilia, cap. 53. In omnibus rebus, quæ ſunt combuſtibiles, ignis aut oleum earum â terra ſeparari poſſunt. præterquam in metallis, in ijs oleum aut ignis ſeparari à terrâ non poteſt, fixa ſimul in igne manent. Quare omne ſal metalli eſt Elixir, & liquari poteſt, tenebis ſale ad Elixir perducto projectionem exiguam eſſe, tum idem illud Elixir ſalis in oleum converti poteſt, ac tum interius ejus foras inverſum eſt, ac exterius intro, prius faciebat ſal projectionem unius in 100. ac lunam efficiebat, eo verò in oleum converſo, ac interiore foras, ac exteriore intrò inverſo, 1000. in projectione facit, ac cum prius lunam
effi-

efficeret exiſtens ſal, jam in oleum redactum ſolem efficit, ſcies pro magnô ſecreto, non eſſe certiorem aut breviorem viam ac rationem, quàm operari in ſale metallorum, nam in id nullum vitium incidere poteſt, nulli enim hic ſpiritus, qui aſcendere valeant, ac non facile per ignem negligitur: atque hic nihil fixatur, materia fixa eſt. Ita omne ſecretum conſiſtit in ſale & oleo metallorum; ac ob eam cauſam ſolebant veteres Philoſophi adjurare alii alios, ne duo hæc abdita arcana cuiquam manifeſtarent, præterquam filiis ſuis, quos ad eam rem aptos cernerent; utque etiam eo pacto ſcriberent, ut nullus mortalium intelligeret, niſi ſoli filii ſcientiæ, itaque omnes libros veterum Philoſophorum perlege, nuſquam reperies ſolidam ac veram rationem de ſale, nec de oleo metallorum, quam tibi in opere poſſis proponere, ſcribunt quidem; omne ſal ac oleum metalli certò eſſe Elixir; dicunt etiam in eò convenire omnes turbas Philoſophorum, quod omne ſal ac oleum metallorum ſit perfectum Elixir, ſcribunt etiam ex metallis ſal facile educi poſſe per reverberationem metallorum. Item ſal ex fæcibus ſuis eſſe extrahendum, & in Lapidem cryſtallinum perducendum, ſed poſtea nullam amplius rationem operis addunt, ſcribunt ulterius tam obſcu-

rè

rè ac rectè, ut nemo veram mentem eorum capere poſſit, niſi qui norunt, hoc pacto ars ſalis ac olei metallorum ſecreta permanſit ſupra omnes artes alias, ac tibi bonâ fide dico, iſtam artem ſalis ac olei nunquàm ante hac palam fuiſſe, ante parentis mei tempora, ac tibi jam eam evidenter ſcribo, quare per Deum viventem te adjuro, ut iſtam artem ſecretam nulli reveles, niſi ubi ſcias certò eam ſecretam manſuram: ob magnum malum, quod inde oriri poſſet, ac quod nobilis ars in peccatis conſumeretur, ac non in gloriam Dei, ac ad opem ferendam pauperibus, ac in inopiæ ſolatium, ac omnium hominum, ad liberandos captivos innocentes, & ad confirmationem Fidei Chriſtianæ, ita probè circumſpice, cuicunque Deus hanc artem largitur, is eam habiturus, nec quiſquam alius, namprout propoſitum alicujus bonum vel malum fuerit, ita eam nanciſci poteſt, ac Deus ei eſt daturus, ac miraculosè eam conſequetur, dictum intelligendi ſat eſt.

Ibid. cap. 25. quamvis aqua paradiſi (quæ fit inter fixum & non fixum) id eſt Mercurius per decem annos in fornace haberetur, non ſimul tamen in pulverem moreretur, ſemper aliquid vivum permaneret, at cùm illud moveretur, ſimul omnis vivus fieret; quare Mercurius dicit de ſeipſo; quum

cor-

corporis mei par inſtar lentis vivit, non jam magis mortuus ſum quàm unquam fui: idq; fit, quia cum eo, aut in eo nullum corpus commiſtum eſt, aut pater, aut mater, aut ſoror, aut frater, aut aliquis ex proximis propinquis, aut è tribu ejus cum eo aut in eo commiſti ſunt, ſed compoſita brachia brachiis, atque oribus ora ubi fuerint, eodem momento moritur, id hoc modo intelliget filius meus; ut cum eo miſceantur ulla ex metallis, aut ſpiritus, qui ex metallis orti ſunt, aut noſter Lapis albus, aut ruber, eaque omnia ſunt de genere ejus aut propinquis, ac ſunt etiam naturæ ejus: ac proinde cum iis ſeſe conjungit, ac ſtatim cum iis commoritur, ſed cum ſolus eſt, ne 10. quidam annorum ſpacio moritur, quālibet ei temperatum ignem ſubdas: hucuſque Hollandus.

Ex his prædictis omnibus poteris intelligere ea, quæ Paracelſus de abbreviando opere ſcripſit, leonem nempe rubeum petendum venire in meridie, gluten verò aquilæ in ortu Solis inveſtigandum.

Baſilius Valentinus juramento confirmat, ſe omnes rubras mineras, ſpirituſque minerales rubedine tinctas ſimili cum auro optimo, puriſſimo & finiſſimo, præſtantiâ ac bonitate, imò multò utiliori, atque in arte Chemica conducibiliori operatione inveniſſe.

Ro-

Roſarius, & Correct. Richardi. Cap. 15. 16.

Univerſaliter omnibus declaro, quòd in totius artis ſerie non ſint niſi duo particularia, quæ particulariter perficiuntur, ſecundùm Philoſophos, & naturam, quamvis deceptores infinitas ſophiſticationes, dealbationes, & rubificationes faciant, quibus fideles deluduntur. Primum particulare tàm in albo quàm in rubeo exiſtit in Mercurio, ſine adminiſtratione Medicinæ perfectæ, cùm Mercurius ſit prima materia metallorum omnium, compoſitus ex terra alba nimium ſulphureâ, & aquâ clarâ, adeò ut albedo terræ tranſpareat per limpiditatem aquæ, & ſit color albiſſimus in eo, ut docet experientia, & cùm ſic immaturus ſit, poſſibile eſt, ex eo fieri Solem, & Lunam. Unde Philoſophus: admiſceatur aliis corporibus metallicis, quia ſunt de materia ejus, per illud artificium poteſt mitti digeſta natura in eum, ut cùm eis perficiatur, per reſiſtentiam (ſcilicet digeſtivam) naturæ perfectæ, ideò cum conjungere volueris, facias medium per Mercurium, qui diſſolvit & aperit naturas, ut ſimpliciter unum poſſit tranſire in aliud, & perfectam vim mittere in imperfectam, ut ſecum perficiatur nota Mercurius crudus diſſolvit cor-

corpora, ſed Mercurius corporum hoc facere non poteſt, propter congelatum & alteratum ſuum ſulphur,& non corrodit ſicut primum, nec ſeratum aperit, & ideò una vis non mittitur in aliam, ſed unumquodque manet per ſe, quamvis confluctualiter ſint conjuncta, illud crudum verò, (quam ſulphuris cruditatem habuit ab initio, in prima alba terra, ex qua cum aqua clara factus eſt) ſemper appetit corrodere, quod ſuæ naturæ vicinius eſt, ideò ſi diſſolverit argentum, inveniet argenteam naturam, ſi aurum, auream: ſi plumbum, plumbeam &c. & per ipſorum ſulphur congelatur. Secundum particulare eſt in Luna, omne argentum eſt poſſibile fieri aurum, ut dicit Philoſophus: non eſt aurum, quod non prius fuerit argentum, ſic argentum continet in ſe aliquas qualitates indigeſtas, quæ poſſunt ab eo purgari, ut per artem tranſeat in Mercurium fixum, id eſt in viciniſſimam auri naturam, quia tunc omne illud continet in ſe quod & aurum, per appoſitionem ſulphuris rubei philoſophici; per hoc plus digeritur, & citrinatio in eo cauſatur, in adjunctione corporis perfecti, cùm fuerint ſimpliciter unius naturæ, hoc in aliis corporibus fieri eſt impoſſibile, cùm tantam vicinitatem naturæ perfectæ non habeant, quia impedimentum in generatione ipſorum eſt ſulphur aduſtibile & fœtidum, nec ipſa

ſunt

ſunt medium, de quo Philoſophus loquitur: non fit tranſitus ab extremo in extremum, niſi per medium, id eſt, ex Mercurio non generatur aurum, niſi prius fuerit argentum, nec in ſe habent ſulphur ignis ſimpliciter non urentis, ſed ſulphur adurens, ideò in Mercur. fixum particulariter transformari non poſſunt.

Deſino hîc plura Philoſophorum teſtimonia adducere, in hactenus enim adductis profectò omnia artis hujus divinæ principaliora continetur, quæ ſcientiæ tyro ſcire opus habet.

Iohannes Iſacus.

Hoc eſt verum aurum potabile, vera quinta eſſentia, & res quam quærimus, & etiam res ſpiritualis, donum, quod Deus amicis ſuis donat; ne ergò aggredere divinum hoc artificium, ſi peccati mortalis alicujus tibi es conſcius, aut ſi propoſitum tuum aliò tendit, quàm ad gloriam Dei, fideliter moneo, poſſes quidem opus incipere, verùm minimè perficere, neque Lapidem videre, Deo declinante frangetur, corrumpetur aut alio modo peribit; ut Lapidem nec videas, nec perficias, itaque alterius tibi conſcius abſtine ab opere, operam ludes, ne ergò teipſum decipe, cui autem

tem Lapis hic à Deo datur, nullâ re indiget, ſervet ergò ad Dei honorem.

Sancto, ſancto, ſancto Jehovæ Zebaoth, omnipotenti Deo, ſolique ſapienti, Regi illi Regum & Domino Dominorum, lucem habitanti inacceſſam, qui ſolus habet immortalitatem, qui morti vim ademit, & immarceſſibilem ſempiternitatem in lucem conſtituit, ſit in omnibus operibus ejus gloria, honor, & robur æternùm, Amen.

EPI-

EPILOGUS.

HAbes ſicbenevole Lector in hoc libello brevem ſummam Philoſophici operis; ſi fortè adhuc aliquid in eo deſideres, ſupplebunt ſupra citati Auctores multoties attentè perlecti, ante omnia verò fundamentum & radicem Naturæ exactè rimaberis, obviam tibi in illuminaniſſimi Jacobi Böhmii Philoſophi Teutonici editis libris, in quibus tota Natura cum ſua circulatione nuda & viva conſpicitur, atq; à te apprehendi poteſt, niſi prorſus ex ſingulari cauſa oculi tui inhibeantur, ut nimium induratus intellectus tuus ea capere nequeat, quæ tamen per ſe ibidem tàm lucidè & manifeſtè declarata extant, ut ſtuporem injiciant intelligenti lectori, iſta arcaniſſima magnalia adeò clarè & totaliter præſcripta, & indigno Mundo expoſita eſse, cùm tamen cuncti Philoſophi priſci ſummè interdixerint, ne margaritæ Sapientię cognitionisq; ad indignos pervenire ſinerentur, quinimò unuſquiſque eorum de peculiari ſibi velamento proſpexit, pro involvendis tantis arcanis, iiſque ſecretiſſimè abſcondendis. Verumenimverò animadvertimus, Deum nunc talia manifeſtata velle, perq; ejus voluntatem dicta ſcripta à perſimplici ipſius inſtrumento in lucem

H pro-

prodiiſſe: annon admirandum quid Eſt, hominem hunc viliſſimum & abjectiſſimum, & qui in Scholis nil niſi perparum legendæ & ſcribendæ linguæ vernaculæ didicerat, tam profunda potuiſſe penetrare, & poſtea non imitabili ſtylo libris radicitus conſignare, quæ in Philoſophię ſacrario hinc inde à lapſu hominis latuêre? ſed ſcimus apud Patrem luminum non eſſe acceptionem & reſpectum perſonarum, humileſque apud eum invenire gratiam, atque ab ejus illuminatione & non aliunde Auctor hic altam ſuam cognitionem habuit, quod etiam clariſſimum illum Doctorem Balthaſarum Gualterum, poſtquam ille Regna Orientalia, antiquitus fons ſapientiæ exiſtentia, indagandæ Philoſophiæ priſcæ gratia perluſtrarat, & deinde illa, quæ quæſiverat, ſummatim apud hunc idiotam inveniret, commovit per 3. menſes in ejus tuguriolo commorari, ac 40. quæſtiones de anima huic inauditæ illuminationis laico proponere, quę cum reſponſis Bohmii in ſingulari libro habentur, atque etiam à Gualtero Latinitate donatæ & publicatæ ſunt ſub nomine Pſychologiæ. Cæteri libri Bohmici pariter ex Germanica lingua Belgicè facti ſunt, atque in hac biformi Teutonica lingua, videlicet Germanicâ & Belgicâ jam Amſtelodami apud *Henricum Bee-*

tium

tium venales ſunt, quos etiam ferè omnes in Anglicum ſermonem tranſtulerunt, ita ut nunc laudatiſſimi Jehovæ gratia talia divina ſcripta in his tribus linguis extent, & à multis ſecretioris Philoſophiæ diſcipulis inter dictas nationes non ſine magno fructu evolvantur; Cæterum de arte & opere philoſophorum libenter adhuc plura ſcripſiſſemus, ejuſque totalem ſeriem, cum omnibus circumſtantiis continuatim, atque integro ordine indicaſſemus, veriti verò, ne in indignorum præpoſterorumque manus talia inciderent (quos & hoc ſcire ſummopere dedecet) non potuimus non ab ulterioribus ſcribendis manum retrahere. Quod ſi verò accideret, ut genuinus non nemo Dei & artis amator ad nos pertingeret, & candido animo integram revelationem divini hujus magiſterii ſe maximopere deſiderare nos ſcire faceret, non equidem recuſabimus quantum in nobis eſt eidem inſervire, & viam veritatis infallibiliter ac fideliter præmonſtrare: reputavimus enim nobiſcum ſeriò, nos eſſe juvenem à fato hactenus variè circumductum, & adhuc neſcientem, quid miſericordia Divina nobiſcum operatura ſit quamvis præterito tempore integerrimam ejus cuſtodiam & inclytam providentiam nuſquam non ſenſerimus, & ſimilem per totam vitam ſperemus, attamen cùm in parente noſtro, imo in-

 nu-

numeris aliis exemplum habeamus luculentum, Deum non rarò vaſcola donorum ſuorum, ex merâ charitate, maximè tribulare, & poſſet fieri, ut pariter nos hodie vel cras unius vel alterius pii hominis aſſiſtentiæ egeremus. ideo annitimur hac benevoli noſtri animi ſignificatione, bonitatem mentis aliorum viciſſim præoccupare. verum nemo ſibi perſuadeat, nos unumquemque hiſce invitare, ut revelandæ ſcientiæ causâ nobis moleſtus ſit; abſit hoc quàm longiſſimè, nam nemini talis gratificatio unquam aperta erit, niſi qui â fati mirabili ordinatione ad hanc ſcientiam prædeſtinatus, ac perpetuæ gratitudinis certificatione commendatus omnino videbitur; talis in tali paſſu poſſet forſàn ſibi promittere oralem manifeſtationem ſequentium punctorum;

1 *De expreſſâ, verâ, unâque alterâ propinquiore materiâ, demonſtrando eam 1. rationibus Philoſophicis, & argumentis Naturam rerum redolentibus. 2. Autboritate, & concordantiâ Philoſophorum. 3. Experientiâ, vel praxi, nam & ſpiritus crudus tingere debet.*

2 *De ſale Philoſophorum.*

3 *De ſolutione primi operis.*

4 *De aquâ ſeu Mercurio Philoſophorum.*

5 *De ſpiritus & corporis rectificatione.*

6 De

6 De coagulatione ſpiritus vel aquæ.
7 De ſeparatione Elementorum in noſtro Lapide, Philoſophicè intelligendâ.
8 Pondus & tempus nativitatis Lapidis.
9 Verus furnus ſeu Athanor Philoſophorum.
10 Hermetis ſigillum, notabile quoddam ac nullo modo de vulgari vitrorum clauſurâ interpretand.
11 De Latone, ejus uſu & operatione.
12 De primo regimine ignis.
13 De ſecundo, tertio & quarto gradibus ignis.
14 De fermentatione, ſublimatione, diſtillatione, & omnibus gradibus, quos Philoſophi, ad decipiendum ignorantes, legentibus proponunt.
15 De multiplicationis ſerie.
16 De projectionis beneficio, quod tamen advertendum.
17 De effectibus & virtutibus Lapidis, non omnibus cognitis.
18 De modo adhibendi Medicinam, vel curandi in genere & ſpecie, homines, metalla, lapides.
19 De qualitate Lapidis, quod ſit gravis in pondere, & dulcis in guſtu, & per conſequens etiam in principio habeat gravitatem & dulcedinem, reſpiciente ultimâ materiâ primam & vice versâ.
20 De poſſeſſione una cum univerſali omnium particularum, quemadmodum

poſſeſſor arboris ſimul omnes ejus râmos in dominio habet.

Sic ergò dilectiſſime lector noſtrum de te bene merendi ſtudium æqui bonique conſulas, pergaſque creſcere ſpe, & firmâ fiduciâ in Deum collocatâ, atque eundem toto corde reverendo, nec non taciturnitati & aſſiduitati ſtudendo, proximum verè diligendo, eique benefaciendo, & Deus tibi nihil denegabit.

Pietas Simplex
eſt Sapientiæ codex.

DIA-

DIALOGUS

Præparationem

LAPIDIS PHILOSOPHICI
Amplius detegens.

INterruptâ ſic ob procellam ſubitaneam illa antehac narrata congregatione Alchimiſtarum & deſtillatorum, ſeriò de Lapide Philoſophorum diſputantium, iſque varias in provincia diſperſis diſſipatiſque, quolibet ſeorſim ſine concluſione; enataeſt inde ineffabilis multitudo ſophiſticationum, ac proceſſuum erroneorum; quoniam infauſta illa tempeſtas, ferendam conventiculi ſententiam finalem interturbaverat, nemine eorum non in præconcepta ſua opinione phantaſtica relicto, quam poſtea laborando ſecutus eſt; pars quidem doctorum Alchymiſtarum qui ſimul iſtis Comitiis interfuerant, legerant nonnihil in ſcriptis verorum Philoſophorum, modò Mercurium, jam Sulphur, nunc Salem ſui Lapidis materiam proponentium; quia verò hi ſemper arg. viv. ſulphur, & ſalem vulgaria interpretati ſunt, omnes excogitabiles laborum variationes in iis atten-

taverunt poſt ſuam diſperſionem, iſtas ſpecies omninò pro vera Lapidis materia haberi volentes. Ex horum ergò numero quidam ex Gebro conſiderabile hoc axioma expiſcatus fuit: NB. Sapientes antiqui concludunt de ſale, qui dicunt ſaponem ſapientum, & clavem, quæ claudit & aperit, & iterum claudit, & nemo aperit, ſine qua clavicula dicunt neminem in hoc ſeculo poſſe pervenire ad perfectionem, id eſt niſi ſciat ſalem poſt ſuam præparationem calcinare, & tunc dicitur ſal fuſibilis. & alterius: Qui ſcit ſalem, & ejus ſolutionem, ille ſcit ſecretum occultum antiquorum ſapientum. His dictis Alchymiſta hic commovebatur ad laborandum in ſale communi, diſcebatque ex eo præparare ſpiritum acutum, aurum vulgi ſolventem, ejuſque citrinitatem ſeu tincturam attrahentem, quam conjungere imperfectis metallis conabatur, ut eo pacto in aurum tranſirent, verumenimverò quomodocunque procedebat, labor erat fruſtraneus, quod jam pridem ſcire debebat ex eodem Gebro ſic dicente: Corpora quævis imperfecta: mixtione cum corporibus à Naturâ ſimpliciter perfectis, nullatenus perficiuntur, quia ſimplicem formam pro ſe tantum, in primo gradu perfectionis, quâ à Naturâ perficiebantur, adepta ſunt, ac velut mortua nihil de ſua perfectione non ſuperfluâ tribue-

bue-

buere poſſunt aliis, idque duabus de cauſis, priore quidem; quia per imperfectionis ad mixtionem redduntur imperfecta, cum non habeant plus perfectionis, quàm pro ſeipſis indigent: poſteriore, quia non poſſunt hac viâ permiſceri principia ſua mixtione per minima, &c. Tùm incurrebat huic laboratori Hermetis ſententia: Sal metallorum eſt Lapis Philoſophorum. Cogitabat ergò non eſſe debere ſalem vulgi illam rem quam philoſophi requirerent, ſed oportere deſumi ex metallis. experiebatur itaque metalla igni violento, calcinare, aquis fortibus ſolvere, corrodere, deſtruere, ſales præparare, ex cogitabat varios fluores pro metallis liquandis, & ſimiles innumeras operationes fruſtratas, verùm hiſce omnibus metam deſiderii ſui attingere non poterat, id quod denuo ipſum dubitare faciebat de dictis ſalibus & materialibus, ſic ut non intermitteret, unius vel alterius Philoſophi librum reintroſpicere, & paginas invertere, ſperans aliquem clarum locum ſibi occurſurum; & ecce, obtulit ſe hoc adagium.

Lapis noſter eſt ſal, & ſal noſter eſt terra, & eſt terra virginea. inhęrens his verbis ſpeculatione profundiore, ex abrupto ſibi videbatur obortum lumen, & nunc demum intelligebat, priores labores unicam ob cauſam hanc non ex voto ceſſiſſe, quod hactenus ca-

ruiſset ſale virgineo, etiam talis ſal virgineus ſuper totam terram, & in ejus univerſâ ſuperficie nullatenus haberi poſſit, quoniam omnis terræ ſuperioritas herbis, floribus & gramine obducta ſit, quorum radices fibris ſuis ſalem virgineum inſugerent, & exinde creſcerent, per quod omnis ille ſal virginitate ſuâ privaretur, & quaſi prægnaretur, admirabatur quoque priſtinam ſuam ſtupiditatem, quod hæc apprehendere non potuiſset citius, Philoſophis tàm clarè loquentibus, ut potè Morieno: aqua noſtra creſcit in montibus & vallibus. Ariſtotele: Aqua noſtra ſicca eſt. Danthyno: aqua noſtra invenitur in veteribus ſtabulis & latrinis, & fœtidis cloacis. Alphidio: Lapis noſter reperitur in omnibus rebus, quæ in Mundo ſunt, & ubique, & in viâ ejectus invenitur, & Deus non poſuit eum precio emendum, quoniam tàm à paupere quam divite haberi potuit. vah! annon manifeſte hîc indicatur talis ſal? (cogitabat ſecum) qui verè eſt lapis, & aqua ſicca, & in omnibus rebus, imò ipſis cloacis reperibilis, nam omnia corpora ex eo conſiſtunt, & eo nutriuntur, & eo augentur, & in id, dum corrumpuntur, reſolvuntur atque magna copia talis ſalis pinguis cauſat fertilitatem, quod imprudentes agricolæ meliùs quàm nos docti aſsequuntur, dum loca propter ariditatem ſterilia pu-

trido

trido fimo, pingui ſale turgido reficiunt, obſervantes macilentam terram feracem eſse non poſse; aliquos etiam Natura docuit, exſuccæ terræ maciem conſimiliter meliorari ſale ex cineribus, idpropter nonnullibi corium ceſpitoſum vomeribus in bracteas deſciderunt, igne incinerarunt, atque in agros illos excoriatos iterum ſparſerunt, & ſic eis fertilitatem conciliarunt, ut in Angliæ provincia Denbigshire ſic fieri conſuevit, nec minus antiquitùs in uſu fuiſse Virgilium teſtem habemus. Quod etiam Philoſophi ſcribunt, ſuum ſubiectum eſse omnis fortitudinis fortitudinem fortem, talem itidem ſe oſtendit terræ Sal, ubi enim unquam horribilior fortitudo & robur repertum eſt, quàm in terræ Sale, ſcilicet nitro, cujus fulminis impetui nihil reſiſtere poteſt? hâc & ſimili conſideratione iſte Chymiſta ſe nunc veritatis ephippio inſidere arbitrabatur, ſibique inſigniter gratulabatur, ſe præ millenis millibus ad tantam cognitionem perveniſse, contemptim habitis etiam doctiſſimis, imò ferè toto genere humano, quod ſemper in luto ignorantiæ hærerent, nec pariter faſtigium Philoſophiæ conſcenderent, & ibidem ſecum diteſcerunt, cum theſauri infiniti reconditi eſsent in Sale Philoſophorum virgineo; hinc pronebat ſibi ad acquirendum talem virginitatis ſalem fodere

ſubter radicum fundamentum, in loco quodam pinguis telluris, indeque terram virgineam nondum imprægnatam eruere, confirmatus Coſmopollitæ verbis, qui dicit: quod pro impetranda viva unda ſalis nitri fovea ſit fodienda ad genua uſque: quod deliramentum ſuum non modo in actum vocabat, ſed etiam typis publicis vulgabat, id ipſum eſse genuinam mentem omnium ſcriptorum Philoſophicorum, ſed adeò impingebat hac irrita ſua conceptione, ut omnem ſuam ſubſtantiam opum perderet, ac inopiæ miſeriam incurreret, atque ingentem mœrorem, deplorans irreparabilen ſumptuum, temporis & laborum jacturam; ſequebantur hoc damnum curæ triſtes & inſomnia, quibus in dies auctis ipſe demum locum repetebat, ubi antea creditam terram Philoſophicam altè fodiendo exceperat, ac iſtibi humi ſubſidens exſecrabatur omnes, qui unquam de Lapide Philoſophico ſcripſêre, pergebat etiam maledicere, & diras imprecari, donec ſomnus, quo aliquot dies ex ærumna deſtitutus fuerat, eum rurſus corriperet; in ſomno iſto profundo apparuit ſibi ingens turba virorum fulgidorum, quorum, unus ipſum accedebat, hoc modo allocutus: Amice quid eſt tibi, quòd requieſcentes in Deo Philoſophos tantoperè exſecraris, & convitiaris? Alchimiſta ſummo ter-

terrore perculſus reſpondebat: Domine, legi aliquâ ex parte eorum libros, vidique quòd nullis non præconiis Lapidem illum, quem ſuum dicunt, ad cœlum uſque extollant, quibus inenarrabilem deſiderationem ejus apud me excitarunt operatus quoque ſum in omnibus ſecundùm eorum præſcripta, ut obtinerem talem Lapidem, deceptum verò me illorum verbis nunc video, cum iſta ratione omnes meas opes amiſerim. *Viſio.* Injuriam facis illis quibus maledicis, eoſque impoſturæ arguis; ſunt enim illi ipſi viri beati quos hîc cernis, & nunquam mendacia ſcripſerunt, ſed puram putam veritatem poſt ſe reliquerunt, in occultis tamen verbis, ne quivis indignus intelligeret, ac per iſta Mundo magnum malum daret, debebas eorum ſcripta non ſecundùm literam, ſed juxta Naturæ operationem & poſſibilitatem intelligere, nec priùs manualem operationem aggredi, quàm poſt firmum fundamentum, ardentibus precibus & indefeſſæ lectionis ſtudijs jactum, animadvertendo ubi omnes colliment, nempe in unica tantùm re, quæ eſt Sal, Sulphur & Mercurius Philoſophorum. *Alch.* Quo pacto poſſunt una res eſſe Sal, Sulphur & Mecurius, ſunt utique tria? *Viſ.* En, nunc deprehenditur dura tua cervix, & quòd nil adhuc percipis; Philoſophi habent ſaltim unam rem, præditam

cor-

corpore anima & ſpiritu, & vocatur ab illis Sal, Sulphur & Mercurius, quæ tria in uno ſubjecto ſunt, & ſubjectum illud eſt ſal eorum. *Alch.* Unde habetur talis Sal? *Viſ.* Ex caliginoſo metallorum carcere, quocum potes perpetrare miracula, omneſque Mundicolores videre, nec non cuncta vilia metalla in aurum vertere, quatenus illa res priùs figatur. *Alch.* Ego verò dudum laboribus iſti metallicis occupatus fui, nec unquam tale quid in iiſdem advenire potui. *Viſ.* Quæſiviſti in metallis mortuis, in quibus non eſt virtus Philoſophici Salis, ſicut panem coctum non iterum ſeminare, aut ex elixato ovo pullum producere valebis, ſed illæſum ſemen accipere debes, ſi quid vis generare, metalla autem vulgi mortua ſunt, quid ergo tu viventem inter mortuos quæris? *Alch.* Annon aurum, & argentum revivificari poſſunt mediante ſolutione? *Viſ.* Aurum & argentum Philoſ. ſunt ipſa vita, neque ullo modo indigent vivificationis, gratis etiam haberi poſſunt, illa verò vulgaria cara ſunt & mortua, manentque mortua. *Alch.* Qua ratione hoc aurum obtinendum eſt? *Viſ.* Solutione. *Alch.* Qui fit illa? *Viſ.* In ſe & per ſe abſque omni aliena re, nam ſolutio corporis fit in ſuo proprio ſangvine. *Alch.* Numquid totum corpus in aquam tranſit? *Viſ.* Solvitur quidem totum, ſed ventus etiam

etiam fixum filium Solis in ventre portat, qui ille piſcis eſt abſque oſſiculis, mari philoſophico innatans. *Alch.* Annon etiam aliæ aquæ ejuſdem proprietatis ſunt? *Viſ.* Philoſophica hæc non eſt aqua nubium, aut alicujus fontis communis, ſed ſalſa & gummi album, aqua parmanens, quæ permanet cum corpore ſuo, cum eo conjuncta, & per tempus ſuum cocta non ampliùs a b illo ſeparari poteſt, eſt inſuper hæc aqua realis vitæ ſubſtantia in Natura, à magnete auri attracta, & reſolubilis in ſerenam aquam per artificem, quod nulla alia Mundi aqua præſtare poteſt. *Alch.* Num etiam fructus dat hæc aqua? *Viſ.* Cùm ipſa ſit arbor metallica, poteſt inſeri eî ſurculus ſeu ramuſculus Solaris, qui ſi excrevit, omnia imperfecta metalla ſuo odore ſibi æqualia reddit. *Alch.* Quomodo cum ea proceditur? *Viſ.* Continuo ſaltem coquitur, primò in humido poſtea in ſicco. *Alch.* An ſemper unum quid eſt? *Viſ.* In prima operatione ſeparabis corpus, animam & ſpititum, iterumque conjunges, ſi verò Sol & Luna coivêre, tunc per ſe anima à corpore recedit, & redit quoque per ſe ad illud. *Alch.* Poſſuntne ſeparari corpus, Anima & ſpiritus? *Viſ.* Nihil aliud cures quàm aquam & terram albam foliatam, ſpiritum enim non videbis, qui ſemper fertur ſuper aquis. *Alch.* Quid intelligis per iſtam terram folia-

foliatam? *Viſ.* Nonne legiſti, quod in mari Phil. appareat parva inſula? iſtam terram contriveris &incluſeris, & ea in carcere frangetur, & quaſi ſpiſſa aqua fiet oleo mixta, quæ eſt terra foliata, noveriſq; eam in juſto pondere cum aqua copulare. *Alch.* Quali pondere? *Viſ.* Pondus aquæ eſto plurale, terræ verò albæ vel rubeæ foliatæ ſingulare. *Alch.* O Domine, ſermo tuus ab initio nimis obſcurus mihi eſt. *Viſ.* Nullis aliis dictis ac nominibus utor, quàm ſicut Philoſophi invenerunt, nominaverunt & deſcripſerunt, hæc quoque beatorum virorum turba, quam cernis fuerunt in vita ſua veri Philoſophi, necnon pars eorum regnantes Reges, dominantes Principes, potentéſque Magnates, qui non pudori ſibi duxêre propriâ manuum laboratione Naturæ indaginem exercere, deque his veritatem ſcripſere, quorum libros ſtudioſe legas, atque omnem ſophiſticationem fraudulentóſque Alchymiſtas cunctos evites,& potieris tandem iſto modo occulto hoc Naturæ ſpeculo.

Et ſic in momento diſparuit hæc viſio, Alchymiſtamque in puncto eo ſopor deſtituit, qui ſecum hæc perpendens prorſus neſciebat, quod de iſtis judicare deberet,niſi quid adhuc omnia verba viſionis ipſi in memoria hęrebant;contulit ergo ſe in ſuum conclave annotavitque omnia verba viſionis, legitque cum at-

ten-

tentione ſcripta Philoſophica & cognovit ex eis priores ſuos errores turpes, agnovitque magis magiſque rectum fundamentum, quod ſibi in memoriam redegit in rithmos Germanicos tenorie ſequentis:

Res quædam in hoc Mundo invenitur,
Quæ etiam ubique exiſtit,
Illa non eſt terra, ignis, aer, aqua,
Nec tamen ullo ex his caret,
Nihilominus enim fieri poteſt ignis,
Atque aer, aqua & terra,
Quoniam omnem naturalitatem
In ſe continet purè, ac ſincerè,
Albet & rubet, calet & friget,
Madet & ſiccet, & omnifariam diverſificatur,
Turba ſapientum tantummodò eam novit,
Atque ſuum ſalem nominat,
Extrabiturque ex terrâ eorum,
Multoſque fatuos peſſundedit.
Nam terra communis hic nihil valet,
Neque ſal vulgi ullo modo,
Sed potius ſal Mundi
Omnem vitam in ſe continens.
Ex hoc ſurgit illa Medicina,
Quæ te vindicabit ab omni ægritudine:
Itaque ſi expetit Elixir Sophorum,
Procul dubio iſta res debet eſse metallica,
Sicut Natura eam confecit,
Atque in metallicam formam redegit,
Quæ vocatur noſtra magneſia,

Ex

Ex quâ hæc res extrahitur;
Habitam ergò rem eandem
Rectè præparabis ad tuum uſum,
Extraheſque ex hoc Sale claro
Cor ejus valdè dulce.
Produc quoque in lucem animam rubicundam,
Exiſtentem itidem oleum dulce glorioſum,
Et vocatur ſanguis ſulphuris,
In hoc opere ſummum bonum,
Ex his duobus tibi progenerari poteſt
Supremus Mundi theſaurus.
Quomodo autem hæc duo
Ex ſale terreo parare debeas,
Non auſim ego apertè ſcribere,
Deus enim id vult occultatum;
Et nullo pacto dandum eſt porcis
Ferculum ex margaritis.
Attamen ſummâ fidelitate à me notum habeas,
Nil peregrinum intrare opus debere;
Sicuti glacies per ignis calorem
Tranſit in ſuam primam aquam;
Sic quoque hunc Lapidem oportet
In ſe ipſo aquam fieri.
Lentum balneum eidem ſaltèm convenit,
In quo per ſe ſolvitur.
Auxilio putrefactionis,
Hinc aquam inde ſepara,
Et redige terram in oleum rubrum,
Quod eſt anima purpurea,
Et quando hæc duo obtinuiſti,
Colliga eam invicem ſuaviter,
Ac ſtatue in ovum Philoſophorum

Her-

Hermeticè concluſum,
Locabiſque in Athanore,
Secundum exigentiam ac morem Sophorum,
Adminiſtrans ignis lenis teporem,
Qualem ſcilicet gallina dat ovis ſuis,
Tunc aqua magno conatu
Omne ſulphur in ſe trahet,
Adeò ut nihilum quidem ejuſdem amplius appareat,
Quod tamen diu durare nequit,
Caliditate enim, ſuâque ſiccitate
Nitetur idem fieri manifeſtum,
Id quod è contra frigida Luna impedire conabitur,
Hinc oritur ingens duellum,
Et uterque conſcendit altum,
Ventus verò eos deturbat & deorſum pellit,
Ipſi verò ſurſum volant denuò,
Et poſtquam diu hoc continuarunt,
Subjacent tandem inferius,
Liqueſcuntque tum profectò
In primordiale chaos penitiſſimè;
Quod poſtea totum nigreſcit,
Inſtar atræ reſinæ in camino:
Et dicitur caput corvi
Non exiguum ſignum gratiæ Divinæ.
Facto hoc mox videbis
Colores, eoſque varios,
Rubrum, gilvum, cæruleum, & alios,
Omnes tamen citò diſparentes,
Videbisque poſtea amplius,
Quod totum viride ſit quaſi folia & gramẽ
Emi-

Emicatque tandem lumen Lunæ,
Ideo debes calorem augere,
Atque in eo ſinere,
Et acquiret canitiem viri ſenis,
Albicabitque ferè ut argentum,
Summâ diligentiâ ignem rege,
Videbiſque ſequenter materiam in vitro
Albere omninò candore nivali;
Et tum confectum eſt Elixir ad album:
Quod tempore quoque rubeum evadet.
Augeas itaque ignem iterum,
Et citrineſcet omni parte;
Tandemque inſtar rubini rubebit,
Tum gratias age Domino Deo noſtro,
Talem conſecutus es theſaurum,
Cum nil in toto Mundo præſtantiâ ſimile eſt;
Stannum, æs, ferrum, argentum, plumbum,
Aliaque varia corpora metallica
In merum aurum tingit,
Imò multò majora præſtat,
Cum eo omnes morbos ab hominibus
Vſque ad ordinatum vitæ terminum tollere potes:
Itaque ex toto corde erga Deo gratus ſis,
Cumque eo libenter proximo ſervias,
Atque in honorem altiſſimi utere,
Conferat is brevi nobis Regnum Cœlorum.
Amen.

Apo-

Apocal. 14.

Reveremini Deum, & ei tribuite gloriam, & adorate eum qui fecit Cælum, & Terram, & Mare, & Fontes aquarum.

Cujus laudatiſſimi Dei gratiâ huncce libellum hic finio cum fine hujus anni, à nato Domino Salvatore noſtro numerati in hoc dicto:

Labores per *a*C*t*I D*ant* *req*VI*e*M.

Auctore me per anagr. nominato:

Sophicis tortor ſurit unda enthea.

AD
LECTOREM

Ne quid Lector colendiſſime, ſiniſtri de me Auctore hujus Tractatuli cogites, quod ego me, magni iſtius Sendivogii filium nominem, ſcias velim, me carnaliter talem non eſſe, ſed ſecundum doctrinam, quam verè paternam ex ipſius incomparabilibus opuſculi habui, ut etiam ipſe fatetur in tract. 11. his verbis: Dixi tibi per ſanctum Deum, quod pater filio debet &c. Philoſophi quoque omnes iſtos ſuos filios nominant, qui ex ſua doctrina & paternis monitis arcem hanc ſupremam intelligunt. Quanquam meam hanc ſcientiam potius venerabili Auctori Arcæ apertæ arcani artificioſiſſimi vulgò *Deſs Groſs-und Kleinen Bauers* debeam qui ſimul cum Sendivogio vixit, vocatus Johannes Graſſæus, fuitque Juris U. Doct. & Syndicus quodam Civitatis Stralſundiæ, animadvertens autem Mundi modernum jus injuſtum conſcientiæ videri, reliquit Syndicatum, & ſe ad Philoſophiam Chemicam convertit, in eaque precando & quærendo ſumma arcana invenit, adeptusque Lapidem illum decantatiſſimum nominavit ſe poſtmodum Chortalaſſæum, ædi-

ædificandumq; curavit Xenodochium penes domum ſuam, in ſolatium egenorum & miſerorum, quorum plurimos indies in eo refocillavit, manuali quoque experientia ipſum Sendivogium & multos Philoſophos antecelluit, ita ut Sendivogius ſcribendo, hic experimentando Philoſophorum noſtri temporis Principes vocari meriti ſint. Ab hoc magno Auctore, Dei mirabiliter declinante gratia, hæc ſcientia ad me defluxit per ejus diſcipuli oralem traditionem, ſine qua vix aliquid veri ex ullo libro potuiſſem ſcire, ut Geber & alii teſtantur, quod nempe impoſſibile ſit hanc artem ſciri, niſi à Deo eam inſpirante ſciatur, vel ab aliquo experto Magiſtro eam edocente, aliter vix unquam haberi dicunt, etiam ſi (ut Auctor Tabulę paradiſi ait) indagator eſſet Doctor Doctorum & Lux Mundi, tamen in hac ſcientia abſque vera inſtitutione penitus cœcutiret. Sic ergò inſtitutus volo viciſſim alios inſtituere, & incitare ad lectionem ſcriptorum Sendivogii, quoniam in eis vera Philoſophiæ materia funditus revelata eſt, qua cognita ejus præparatio tandem latere non poteſt, eandemque hîc indico tam clarè, ut clarius nulli liceat, ſicut ipſe facile videris, ſi prius materiam rectè noviſti, qualis hic harmonia ſit cum omnibus Philoſophis, nam omninò eſt catena aurea, & ſi in minimo erratur, erratur in to-

to,& ſi unum rectè cognoſcitur,cognoſcuntur & omnia reliqua;principaliſſimum verò eſtcognoſcere genuinū principium,& unicam artis radicem, in qua certiſſimè eſt,quicquid quęrunt ſapientes, & in nulla alia re Mundi eſt metallorum ſolutio & reſeratio, ſub conſervatione ſpeciei auri & argenti, quàm in dicta radice,cujus etiam vis ſolutiva celerrima eſt, ſuper omnes aquas fortes & nulla non ignis violentia longè fortior, adeò ut ſine ſumma admiratione ejus ſolventem impetum aſpicere nequeam. ô admirabile acetum ſiccum, quis homo tuam novit perſcrutari potentiam? & quis unquàm omnes tuas vires expertus eſt? vale itaque lector candide, & his fruere!

AD-

ADMONITIO
Publicatoris hujus tractatus.

POſtquàm ego per anagramma vocatus: *Huc è tenebris*, ex priori mea Publicatione Germanica principii tertii Sendivogiani moleſtiam non exiquam, per literas à multis ad me miſſas ſenſerim quibus à me Auctoris libelli nomen, & ut ſibi ipſius notitiam, nec non promiſſæ harmoniæ publicationem impetrarem, petierunt, quarum literarum partem è longinquis locis accepi nulla mittentium civilitate ſublevatus, ut nimirum literarum ſuarum petitoriarum liberum acceptorem me effeciſſent, & ut iſthac eorum moleſtatione nō proficuum, ita quoque non damnum mihi dediſſent, neceſſe credidi impręſentiarùm, cum pręſentem hunc tractatum iterum à dicto Auctore è terra Baconica publicandum acceperim, cunctos ejusdem legentes admonere, ne mihi priori modo moleſti ſint, ſuaſve literas hic à tabellario carè redimendas tranſmittant, ultro enim abſque ullius hominis ſtimulo publicatione librorum utilium multis inſervire annitar, harmoniamque talem, ſi obtineri poterit, pariter imprimendam curabo, nomen Auctoris quod attinet, non ſa-

tis compertum habeo, niſi quod illud: *Joſaphat Fridericus Heutnortton*, Spagiro iſti eſse audio, anagrammatiſmi etiam libri hujus tale conſtituere videntur. Hæc verò cum veniâ & pace veſtrâ dicta ſint, laudeturque hîc & in omni vitâ noſtra
Dei nomen ſacroſanctum, benedictum & glorioſum in omnem æternitatem,
Amen.

F I N I S.

APPENDIX Conformis cujuſdam dialogi, habita olim inter ſpiritum Mercurii, ac Philoſophum quendam monaſterialem.

Quam editioni Germanicæ Tripodis Chemici Sendivogiani, ex veteri libro manuſcripto, ob concordantem materiam, & pro implendo libri edendi ſpacio adjunxerunt.

Libuit ergo eandem huc itidem Latinè apponere, ne ſtudioſi Germanicum idioma non callentes, ac ejuſmodi in aliis libris non ſemper obviam habentes, utilitate & jucunditate ejus priventur.

Eſt in Mercurio, quicquid quærunt ſapientes.

Omnia occultantur in me Mercurio,
Quæ optant Chymici, nam aquam & ignem parturio,
Sum terra & ventus, feroque ſulphur & ſalem,
Si reperis, habeto curam celandi totalem.

COLLOQUIUM
Spiritus Mercurii
Cum
F. ALBERTO BAYERO
ſive *Bavaro*, Monacho Carmelitano, &c.

Mercurius.

QUid cauſæ eſt, quod me tot atheis conjurationibus, & incantamentis conjuraſti, & accerſiviſti?

Albertus:

Cauſam dicam, ſi prius à corporis, vitæ, animæque periculo tutum ac ſecurum me præſtas.

Mercurius.

Hoc non eſt in poteſtate mea; nec veni te talibus affectum: verumenimverò ſi non deſiſtis ab incantationibus tuis, jamjam alii commiſſus tra-

traditusque es, qui executionem in te, & tui similes opportunè statuet. Porro animæ tuæ salutem nec impedire, nec promovere poſsum, ſi verò homo eſsem, facilè ſalutem conſecuturus eſsem, proinde reſponde mihi ad quæſtionem meam.

Albertus.

Noli obſecro iraſci adverſus me, ſum enim homo debilis, tu vero ſpiritus es celerrimus ac potens, propterea dic mihi, an bonus vel malus angelus vel quis ſis.

Mercurius.

Neque bonus exiſto angelus neque malus, ſed unus ſum ex ſeptem ſpiritibus planetarum, qui dominantur mediæ Naturæ, habentes mandatum gubernandi 4. Mundi diſtinctas claſſes, ſcilicet firmamentalem, animalem, vegetabilem, & mineralem, ſumuſque ſimul ſeptem, qui noſtra aptitudine omnes virtutes, & influentias ſuperiorum ſphærarum, in inferioria tria Regna mediantibus deſcendentibus & aſcendentibus declinamus, atque in eis operamur, planetæ enim corporaliter deſcendere nequeunt. *NB.* Hic eſt ille ſpiritus, qui generabiles ſeu

propagabiles creaturas, intrinſecus actualiter producere juvat, è creatis quatuor elementis, & qui hoc capit, accomodabit ſe operi.

Albertus.

Totus gaudeo ob gravitatem tui Spiritualis indicii, & fateor ingenuè nec non ex toto animo pro certa veritate agnoſco, me ex nuda & aperta tua informatione plus fundamenti haurire, quam unquam hactenus ex ullo Philoſopho potui, ſed quæſo adhuc unam quæſtionem à me tolera, & cauſam tibi dicam, congrueque narrabo, cur te conjuraverim, dic ſodes mihi tuum nomen.

Mercurius.

Vocor & ſum Spiritus planetarum, ac non Dei Mercurii, & ſicut me tuis exorciſmis conjuramentiſvè nullo modo ad te coegiſti, ſed ex Dei permiſſione ſpontè ad te veni; ita quoque tuus circulus, candelabrum, gladius, & reliquæ ſtultæ ceremoniæ minus quàm nihil me movent, ſiquidem a' ſ jue his unicuilibet pio homini Spiritus aliquis ad inſerviendum à Deo deſtinatus eſt, quãvis pauci ſint, qui eis dignos ſe exhibeant. Propterea nigredinem meam ne am-

amplius horre, erit enim ea divitiarum tuarum initium, annonetiam in principio creationis omnia erant obſcura & tenebroſa? at Creatoris ſapientiâ lux â tenebris ſeparabatur, etenim â ſuavi aurorâ exoritur Sol pulcher & ſanguineo rubore rutigus. Si ergo verbis meis fidem adhibes, quamvis non ſint humana, ſed potius reſonans voviferatio ſecundùm naturam meam, viciſſim te benignè audiam & inſtruam, jam ergò egredere è tuo circulo, atque me ingredi ſine, tu verò menſæ aſſide, ac ſtudioſè ſcribe, quæ dicturus ſum, incipe autem recitare cauſam cur me hoc modo accerſiveris & invitaveris, nec ſis ſcrupuloſus, ſed ſimplex & brevis in tuis quæſtionibus.

Albertus.

In nomine Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti, qui eſt ſanctiſſimus in indiviſibili trinitate, & indiſtinctaDivinâ unitate Amen. Ego te Spiritum Mercurij rogo, ut mihi veritatem dicas, quæſtio:

An illud, quod Philoſophi de ſuo Lapide ſeu Tinctura ſcripſerunt, omninò in Natura re-

rum verum, aut ſubtilis ficta ſpeculatio ſit?

Mercurius.

Scito, Philoſophos, habitâ percautâ præponderatione, de re iſtâ unicâ varia ſcripſiſſe, ut ſtulti: qui tantum pecuniæ inhiant, nec non infideles ſuperbi homines confundantur, & ſic magna arcana Naturæ (utpote naturales virtutes omnia efficientes) quæ à moltis ſupremæ & infimæ ſortis hominibus expetuntur, eò magis abſtruſa & occulta maneant. Verùm in nullo alio quàm in hoc unico (quod eſt omnia in omnibus) veritatem dicere potuere, reliqua non ſunt niſi ad ſeducendum indignos. Quamobrem tibi brevibus verbis puram veritatem dico, quod, ſi concordanter de ſuo Lapide ſive Tinctura ſcripſerunt, hoc ipſum in rerum Natura veriſſimum eſt, ac omninò certum.

Albertus.

Quidnam eſt illud unicum?

Mercurius.

Tu ceu multæ lectionis ſophiſta, atque exercitatus laborator, ad minimum ex tuo Bernhardo diſcere id debebas, ut tibi perſuades, te probè noſſe ejus geminum Mercurii Spiritum, & ferè fatuus evaſiſti ſpeculatione in primo ente & tuo Azotho, qui tamen adhuc longè abes à vero centro, indagando vitam in mortuis, & conſtantiſſimam incorruptibiliſſimamque, nec non omnis naturalis fortitudinis fortiſſimam fortitudinem in rebus inconſtantibus & deſtructibilibus. Propterea ſcito pro certo, quod tinctura noſtra rubicundiſſima & puriſſima extrahatur è ſubjecto, omnium quæ unquam Sol illuxit perfectiſſimo, quæ res unica conſtantiſſimis ſpiritibus, compoſitione quatuor diſtinctarum qualitatum ſive Elementorum, ac ſeptem erraticarum concordantiâ tantoperè commaſſata, compacta, & ſine ullâ ullius mortalis ope, induſtriâ, vel arte in gradum ſuum perfectionis abſoluta & perfecta eſt, tamque ingentem ſui ſeminis multiplicationem in creatione naturaliter conſecuta, ut ſit incredibile, nihilo ſecius quoque ejus partes per minima adeò contemperatæ ſunt, ut naturali modo nullum Elementum eam corrumpere,

vel lædere poſſit, abſque auxilio vel artificio, cùm tamen præter hanc unicam rem, omnia alia hujus Mundi, creata corruptioni ſubjacent; hôc tibi hac vice ſufficiat, è quâ materia Philoſophi tincturas ſuas extraxerint. NB. Si prænarratorum verborum ſenſum aſſequeris, tota artis ſumma & ſeries tibi manifeſta eſt, & cui Deus aperit oculos, ei hîc ſufficienter dictum eſt, poteſt quoque intelligi de auro vulgari, id verò non genuina mens hujus doctrinę eſſet, ſunt enim adhuc altiora creata ſolę, quorum inquiſitio veritatem dabit, eorum quæ homo intelligere renuit, niſi prorſus literaliter ei ante oculos ſcribatur, quare incomprehenſibile ei eſt, ob magnam cæcitatem & ſui ipſius ignorantiam.

Albertus.

Ex hiſce tuis obſcuris verbis colligo, te purum putum aurum innuere velle.

Mercurius.

Aliquâ ex parte quidem me rectè intellexiſti, ſed obſcura nubes oculos tuos adhuc obnubilat: obryzum quidem eſt, ſed non id quod clibanis ad perfectionem deductum eſt, verum quod

Na-

Natura ipſa, per Vulcanicum ejus Archæum, ſuo ſibi modo proprio, abſque ullo artis ſubſidio finiit, ex hoc extrahitur duplex ille Mercurius, quo habito diſputa cum tuo Abbate dicens: Azoth & ignis tibi ſufficiunt. *NB.* Exinde liquet, id plus eſse auro repurgatiſſimo, quod Deus in creatione ipſe præcepit, atque eidem hanc virtutem conceſſit, ut innoteſcat nobis hominibus, quo pacto & ab omni homine haberi poteſt, ex verâ Divina illuminatione.

Albertus.

At ubi acquiritur tale aurum?

Mercurius.

Sub cælo, in quamplurimis montibus & fodinis. *NB.* Verſatur omni homini ante oculos, nec tamen cognoſcitur.

Albertus.

Quantâ portione ad abſolvendum hoc opus, opus eſt?

Mercurius.

Si quatuor lothones habes, poteris à Pontifice Diademá emere, ac reſiduum retinere. NB. Si quatuor lothones elaboraſti, ad tuam inceptionem ſat habes.

Albertus.

Tantulum, cum auxilio Divino, obtinere non dubitamus.

Mercurius.

Eho ipſum corpus? neſcis verò, me ceu Spiritum non de corpore, ſed potius de ſpiritu loqui, quomodo appendes ſpiritum, qui in perexiguâ quantitate è corpore trahitur, in virtute verò poſtea magnam corporis quantitatem ſuperat, quum ergo extractum hunc ſpiritum iterum corporalem facere volueris, & in corpus ſpirituale purum converteris, tunc poteris cum tuo Abbate diſputare (priùs verò non opus eſt) dicens: ignis & Azoth tibi ſufficiunt.

Albertus.

O Angelica, ô cæleſtia verba! quomodo autem eſt procedendum?

Mer-

Mercurius.

Solve & coagula.

Albertus.

Ah quàm brevia ſunt hæc verba, difficillimeque intelligenda, quæ tamen totam artem comprehendunt, intelligo corpus ſolis eſſe ſolvendum, ſolutioneque ſpiritum tingentem, qui procul dubio Bernhardi duplex Mercurius eſt, eliciendum. *NB.* Corpus non eſt aurum finum, ſed illud in quo Tinctura latet, è quô geminum Mercurium producito.

Mercurius.

Nunc quadantenus oculorum tuorum velamen receſſit, ac rectè intellexiſti. *NB.* intellige ergò hîc, quodnam corpus velit.

Albertus.

Per quam rem corpus Solis ſolvere debeo?

Mer-

Mercurius.

Per ſeipſum, & quicquid ei Propinquiſſimum eſt.

Albertus.

Difficilis eſt hic ſermo, imò arte ipſâ difficilior, obſecro explica illud, atque indigita mihi media, & manualem operationem, veræ ſolutionis.

Mercurius.

Ego tanquam ſpiritus non poſſum tibi jam manualia media oſtendere, quia non manus mihi ſunt, ſi verò, ut tu, corpore conſtarem, integrum opus laboraturus eſſem, tu autem diligenter inveſtiga in tuo Bernhardo, in quo extat medium manuale veræ ſolutionis ter deſcriptum, cum omnibus circumſtantiis, bis rectè, & ſemel falsò, propter indignos.

Al-

Albertus.

Me miſerum, qui jam pridem ferè mortuus ſum ex nimiâ ejus lectione, nec tamen reperire valeo, namque licet ex tuâ informatione Regem jam noverim, fons tamen in eodem eſt prorſus mihi incognitus, itaque rogo maximoperè, dic mihi quid fons ſit.

Mercurius.

Tu nimium præmaturè æquo doctior vis fieri, non poſſunt eum tibi indicare, te prius Regem habere oportet, balneum non calefit, antequàm Rex præſtô ſit. Tu verò ad tuum ito Abbatem, & poſtulato, ut tibi acquirat decem libras Orientalis 8756. æſæ, quod optimum ſit, ſicut abſque igne è matre ſuâ terrâ provenit, poſtea tibi omnia revelabo, quæ jam non intelligis, tace & taciturnus eſto, Abbati tuo libros tuos, ne amplius oſtende, nec ei de noſtro conventu, ullum verbum dic, quatenus vita tibi in precio

cio eſt, depone omnia incantamenta, & noli me ulterius conjurare, mane in bone propoſito, Deumque pro gratiâ & bono ſpiritu, aliàs ad te reverti mihi non eſt licitum, his verò obſervatis tibi conſtans amicus ero, tibique, quandocunque mei conſilii indigebis, ſuccurram.

Albertus.

Quæſo adhuc pauliſper mane, & dic mihi an etiam tamdiu vixero, ut tincturam conſequamur?

Mercurius.

Imò vives tantiſper, Abbas autem tuus tàm diu non vivet, poſt mortem ejus eam impetrabis, eritque tibi, ni ſapienter cautus fueris, cauſa mortis. Magnam ergò cautelam habe, ac probè circumſpice, cui eam monſtres, nam iſta tinctura cauſabitur magnam occœcationem, attamen libellos tuos ſemper diligentiùs quam ipſam Tincturam cuſtodito, & attendito ut nullo tempore apud te reperiantur, poſſes enim incautus ingentia pericu-
la

la, carceres atque ipſam mortem trucidationis incurrere, proinde cautus ſis & vale.

Albertus.

Ego Frater Albertus Bavarus, Ordinis Carmelitarum., juro & teſtor his coràm Deo, ejus Angelis & dilectis Sanctis, quòd Anno 1658. die 18. Februarii, qui erat feſtum Purificationis Glorioſæ, ac Benedictæ Mariæ ſemper Virginis, cùm eſſem in mea cellula, in Cœnobio Mariæ Magdalenæ Stellanovanæ, mihi talis viſio apparuit, & prædictum colloquium mecum habuit, poſtquam die ac nocte cum Philoſophicis libris ſurgerem ac dormitum irem, & Dominatorem Jehovam ardentibus ſuſpiriis invocarem dieque nocteque, ut veritatem hujus artis mihi gratioſè revelare vellet. Tùm demùm in mea ignorantia (poſteaquam 23. annos cum meo Abbate fruſtra magnos & tædioſos labores ſuſtinuiſſem, ignemque interdiu & noctu ſine intermiſſione foviſſem) ad credendum penitùs inductus fui (quod peccatum Deus mihi remittat) hujus rei ſecretum à nullo homine haberi poſſe, ſed extorquendum eſſe ſpi-

ritibus, quod tamen magis hominibus poſſibile eſt, quàm ulli ſpiritui, ſicut tandem (laus ſit exuberantiſſimo Deo) in fine res ipſa me docuit, illo inquam die ego conſuetis ceremoniis,& uſitatis conjurationibus, quemadmodum in Monaſteriis Italiæ, & Hiſpaniæ valdè commune eſt, tanquam Cœnobialis exorciſta (Deus det mihi delicti veniam) Spiritum Mercurii conjuravi, & in colloquium vocavi, qui mihi in ſpecie nigræ, longiuſculæ, teretis cujuſdam viſionis, ſive umbræ, abſque ullâ formâ vel ſimilitudine alicujus hominis, vel animalis apparuit, atque intonaute ſonanteque voce quærendo & reſpondendo mecum egit, ut prænarratum eſt. Et ubi juſſu ejus menſæ accubuerim, calamoque ac atramento ad ſcribendum paratus eſſem, umbra illa ſeu nigra apparentia in medio circulo conſtitit, nil curans gladium conſecratum, ſuffitam candelam, & reliquam dementiam; poſtea ſe ex nigredine illâ, per coloris cinerei nubem, in albicantiſſimum candorem mutavit, poſtremò autem per citrinam colorationem in ruborem ſummè rubicundum ſe dedit, forma verò & quantitas ejus ſe non mutavit, ſed uſque ad finem colloquii in circulo immutata ſeu inconverſa permanſit, in medio autem viſio-

ſionis puncto ſignum, ſeu character Mercurii in tribus diſtinctis coloribus videbatur. Tandem ubi ut dictum eſt diſparuit, cellula mea interius & exterius ſanguineâ rubedine tincta viſa eſt, ut ſplendor ſolis in conclavibus rutilus apparere ſolet. Poſt hanc revelationem omnia neceſſaria cum abbate meo procuravi, ita ut intra biennium 11. libras & 7. lothones veræ materiæ comparaverimus, non ſine magna difficultate & ſolertia, atque opus Anno 1571. feliciter compleverimus, ſicut ego impoſterum fideliter & clarè, in omnibus conſignavi. Verùm abbatis mei vita non ad terminum operis prolongata, ſed ipſe cum ſua concubina, præcedente ſecundo Junii, mortuus in lecto repertus eſt, à principio uſque ad finem omnes colores vidi, & ſicut Spiritus in circulo ſe exhibuerat, ita quoque tres principales colores, videlicet nigrum, album & rubeum in tali diſtinctione in opere deprehendi, & quando ullus error contigit, a dicto ſpiritu ſemper bonum conſilium informationemq; habui. Imprimis autem parabolam fontis Bernhardi adeò explicuit, ut poſtmodum omnia occulta ſcripta & figuræ Chaldæorum, Ægyptiorum nec non Philoſophorum aliorum mihi innotuerint, quemadmodum iſta in quarta parte

parte mei libelli quem in Bernhardum ſcripſi, in plurimis proprio meo ſanguine delineavi; poſt operis autem perfectionem aliquot annis non potui efficere, ut ſpiritus ad me iterùm veniſſet, quare augmentationem in virtute, & quantitate difficillimam ſenſi, & quoniam à ſpiritu ulteriorem inſtructionem & doctrinam non habui, prætereaque cæteri, fratres, & præſertim novus abbas valdè infenſi mihi erant, eò quod ex me in his rebus nihil expiſcari poſſent, clàm cum mea Tinctura & aliquot veteribus boniſque libris Ægyptiis me intra paucos annos ſubducebam, atque ex voto Auguſtam Vindelicorum veniebam, ſummo delibutus gaudio quod tandem aliquando ſolum Germanicum viderem, fretuſque ſpe conſolatorià, me tandem aliquem inventurum, qui multiplicationem mihi oſtendat. Deus omnipotens ulterius omnes ſuâ gratiâ juvet, cui ſit laus, gloria, & honor, in omnium ſeculorum æternitatem, Amen, Amen, Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google